MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-14

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KRICHAUFF, ERNEST

TITLE:

QUAESTIONES DE PARTICIPII APUD...

PLACE:

KILIAE

DATE:

1878

Master Negative #

91-80408-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

888E
Z2 Krichauff, Ernest, 1852-
Quaestiones de participii apud Sophoclem usu...
Kiliae, ex officina C. F. Mohr, 1878.
92 p. 26 cm.

[Kiel universität. Schriften.] 1878. VII.
Phil. II.
Thesis, Kiel, 1878.
~~D88SE K892~~ ~~Copy in Classics Reading Room.~~
Q

53885

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



6240
2.-
No. 3
77

1878. VII.
PHIL. II.

Quaestiones de participii apud Sophoclem usu.

DISSERTATIO,

QUAM

EX AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA
ORDINIS
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XXIII MENSIS MARTII HORA XII IN AULA
ACADEMICA
PUBLICE DEFENDFT AUCTOR

ERNESTUS KRICHAUFF.
Altonensis.

Adversariorum partes suscipient:
GUILELMUS STILLE, Dr. phil.
GUILELMUS PETERSEN, Dr. phil.
JOHANN KARSTENS, Dr. phil.

KILIAE.
Prostat in aedibus Lipsii et Tischeri.
EX OFFICINA C. F. MOHR. (P. PETERS).
1878.

Imprimatur:
THAULOW,
h. t. Decanus.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

PETRO FORCHHAMMERO

EDUARDO LUEBBERTO

SACRUM.

Prooemium.

Disputatur in universum de natura participii.

Nemo est, quin si nomen participii pronuntiari audiat, magnam huius idiomatis cum in una quaque tum maxime in Graeca lingua vim agnoscat et cognitu dignissimam iudicet simul vero confiteatur, eam nondum satis perspectam aestimatamque esse eamque ob causam non inutile fore, si quis in natura eius ac significatione consideranda operae non nihil consumat. In toto sermone Graeco nulla certe extat forma verbi, quae magis apta sit ad sententias alacriter exprimendas et enuntiandas, quam participium, cuius natura maxime in eo posita est, quod notiones verbi et nominis coniungit atque consociat.

Est participium tanquam mobilis, ut ita dicam, pons inter has duas partes orationis gravissimas interpositus et quo magis naturam verbi unde profectum est nominis notioni impertit ac tribuit, eo maiorem habet vim in sententiis formandis in quibus ita adhibetur, ut res, quas significet, quasi vitae spiritu praeditae nobis proponantur et oculis obversari videantur. Quam ob rem non iniuria ea lingua maxime laudatur in qua participii usus non imminutus, sed potius optime excultus atque expolitus est quod praecipue in Graecam lingnam cadere vel obiter aspicienti manifestum est, nam et omnes participii formas plene formatas et procusas habet et usus eius est uberrimus et maxume varius et multiplex. Hoc autem non valet ad Latinam linguam, quia Latini praeterito participii activae vocis destituuntur et nunquam nisi per deponentia hoc Graecorum idioma assequi possunt, in passivo genere forma participii praesentis carent. Ac ne eas quidem formas participii, quae servatae sunt, a Latinis tam facile tamque feliciter adhibitas fuisse quam a Graecis, quicunque paululum in lingua Latina

et Graeca versatus est, libenter concedet. — Multo angustioribus finibus usus participii circumscriptus est in linguis, quibus Germani et Francogalli aliaeque gentes recentioris aetatis utuntur. —

Antequam ad ipsum opus accedam, fontes ex quibus potissimum multa in hoc opusculo conficiendo hausi, enumerabo. Ac primum quidem commemorandi sunt viri illi docti qui libros grammaticos composuerunt, quorum ex numero imprimis afferam:

1) A. Matthiáe Ausführliche Griechische Grammatik Leipzig 1835.
2) R. Kühner Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache Aufl. 2. Hannover 1872.
3) K. W. Krueger Griechische Sprachlehre für Schulen 1. 2. vol. Berlin 1873.
4) G. Curtius Griechische Schulgrammatik zehnte Auflage. Prag 1873.
5) G. Curtius Erläuterungen zu meiner griechischen Schulgrammatik. Prag 1870.
6) Deinde memoratu dignissimus est liber, quem scripsit Joh. Classen: Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch; Frankfurt a/M. 1867 quo in libro magna cum elegantia atque copia disseruit de participii usu apud Homerum praecique de usu praedicativo et de genetivo participii absoluto, p. 77 — 188.
7) sequuntur diversae Sophoclis tragoediarum editiones, quas curaverunt et commentariis instruxerunt G. Hermanus, E. Wunderus, G. Dindorfius, F. W. Schneidewinus.
8) Lexicon Sophocleum composuit Fridericus Ellendt, ed II curavit Genthe Berol. 1872.
9) in usum meum converti dissertationem quam scripsit Hermannus Warschauer: De Perfecti apud Homerum usu. Vratislaviae. 1866.
10) L. Brock. De Perfecti et Plusquamperfecti usu Aeschyleo Vratislaviae 1865.
11) Bernhardus Romahn: De Relatione temporali quae intercedit inter participia ac verba finita apud Aeschylum. Vratislaviae. 1863.
12) Rieckher: Wissenschaftliche Abhandlung über das Participium des griechischen Aorists (zweite Hälfte) Heilbronn. 1853.
13 Pfuhl: die Bedeutung des Aoristus. Programm des Vitzthumschen Gymnasiums Dresden. 1867.

Praeter hos unum alterumve librum inspexi, quos suo quemque loco afferam; magnum quoque fructum percepi ex scholis quas praeceptor meus clarissimus Luebbertus sem. aest. a. MDCCCLXXIV Kiliae habuit de syntaxeos Graecae doctrina

atque usu. Haec praefato convenit mihi paucis praemonstrare viam, qua in quaestione absolvenda incedam.

Totam igitur materiam in tres potissimum partes dividam:

I. agitur de participio cum articulo substantive dicto apud Sophoclem.

II. in altera sermo erit de participii praesentis et perfecti et aoristi usu attributivo, qui haud ita late patet apud Sophoclem.

III. amplius agitur de participio quod dicunt in appositione posito ac de diversis rationibus imprimis de ratione temporali quae inter participia ac verba finita intercedat.

Ac primum quidem in hac parte de participio praesentis eiusque usu ac relatione ad verbum finitum agam, deinde transeam ad aoristi partcipii usum praeteriti, cui quaedam de discrimine quod ei cum perfecti participio intercedat, adiciam atque in extrema opusculi parte uberius disputabo de eo participii aoristi usu, quo participium actionem exprimit, quae ad idem tempus ad quod actio verbi finiti pertinet, spectat neque raro etiam unam eandemque rem quam huius verbi notio significat.

De vi participii propria ac peculiari.

Relata sic generali dispositione opusculi ad singulas eius partes progrediendum erit ac primum quidem de participiis cum articulo substantive dictis apud Sophoclem dicam, priusquam tamen hoc faciam, ad hanc loquendi rationem melius ac facilius intellegendam paulo etiam accuratius disputandum erit de principali usu participii ac significatione.

Primaria igitur vis participii est vis attributiva de qua Bernhardus Romahn l. l. pag. 2. satis accurate disseruit. Exposuit enim vir doctus, qua in re et differant inter se et congruant adiectiva et participia. Adiectivo dixit linguam hoc munus sustinendum tribuere, quod qualitatis notionem exhibens eam nomini adiungat itaque a relinquis eiusdem generis classibus vel personis et rebus disiungat. Sin autem non qualitas exprimenda sit, sed significare velimus singulas personas vel res propterea quod aliter se habeant ac reliquae, ab his differre aut personas vel res diverso tempore diversa conditione uti, participium ponendum esse, participium igitur significare aliquem aliquo modo se habere i. e. conditionem in qua versetur.

Adiectivum personae vel rei praedicatum tribuit, quod qualitatem eius indicat, participium eam ante oculos ponit, quomodo se habeat, habuerit, habitura sit, temporis et notionis verbi finiti ratione[1]) habita. Quam definitionem bene probat Romahn exemplo ex Aeschylo desumpto Prom. 29 ubi legitur:

θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον
βροτοῖσι τιμὰς ὤπασας πέρα δίκης

nam deus deorum iram non verens ultra fas mortalibus honores praebuisti. Vulcanus igitur dicit Prometheum in ea condicione versatum esse, ut iram deorum non vereretur, tum quum hominibus ignem praebuit; est igitur condicio audaciae, animi metu vacui, fortitudinis, qua usus est, quum illud perficeret. Contra, si diceretur *ἄφοβος*, non condicionis in qua tunc versabatur, ratio haberetur, sed morum eius qualitas audacia ipsa ei tribueretur.

Interdum tamen fit, ut participium substantivo cuidam tribuat condicionem, quae ei quasi propria est et in qua illud semper fere versatur. Condicio autem quae alicui ita convenit, ut cum illo quasi necessario quodam vinculo videatur esse coniuncta, in qualitatis notionem transit, quare tunc dicimus participium transisse in adiectivi notionem. Cum qualitatis autem notione necessario coniunctum est ut significatio temporis quo aliquid fiat, ab ea absit, ita ut ratio nulla habeatur quam diu vel per quantum temporis spatium ea personae vel rei conveniat. Ita etiam participium, si in notionem adiectivi transit, vim temporalem exuit vel potius ea temporalis vis removetur nec amplius sub sensus cadit. Hoc quoque paucis tantum exemplis explicare liceat, cum postea paulo uberius hunc participii usum illustraturi simus. Sophocles O. R. 201 cum dicit[2]):

τόν, ὦ πυρφόρον
ἀστραπὰν κράτη νέμων,
ὦ Ζεῦ πάτερ, ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ.

haec verba primaria significatione ita sunt intellegenda: hunc (Martem deum pestiferum) pater Juppiter, cum ea utaris condicione, ut vim fulminandi habeas, fulminis ictu percutias. Quum vero ea omnino sit Jovis condicio, ut fulmina mittat immo fulminandi potestas sit eius propria, hanc condicionem qualitatem eius aliquam dicere possumus et transisse participium in adiectivi notionem. Notandum autem est eiusmodi participia etsi

[1]) Cf. Schoemann partes orationis pag. 34.
[2]) In versibus numerandis editionem A. Nauckii secutus sum.

in universum adiectivi speciem induunt tamen plerumque ad certam quandam occasionem respicere velut hoc loco de Marte caedendo agitur.

Similiter res se habet Phil. 133. ubi Ulixes Mercurium invocat: *Ἑρμῆς δ' ὁ πέμπων δόλιος ἡγήσαιτο νῷν* quod *πομπαῖος* a nonnullis explicatur, quamquam si accurate locum interpretemur non alium significat, nisi cuius ductu in Lemnum insulam venerant qui loquuntur. Nihilominus tamen etiam universam adiectivi significationem habet, cum omnino sit id munus Mercurii, ut homines in negotiis suis conficiendis comitetur itaque adiuvet[1]). — Ex his igitur satis apparet quid sit discriminis inter adiectivum et participium et quae extet similitudo; utrumque enim nomini tribuit aliquid alterum qualitatem quandam alterum condicionem, quae quo magis alicuius propria est eo propius ad adiectivi notionem accedit. Haec autem vis, quae a grammaticis appellatur attributiva, est primaria participii significatio eamque semper habet ac retinet in universo usu etiamsi praedicati vices tenet[2]). Quam ob rem participium nunquam nisi ubi praeposito articulo substantivi speciem prae se fert, per se stare potest, sed utique tanquam adiectivum nomini cuidam adnectitur, quod quidem ita fit, ut eodem modo atque adiectivum eundem accipiat casum quem nomen substantivum vel pronomen, cui appositum est, habet. Attamen ut adiectivum ita etiam participium sine substantivo usurpari potest, si ipsius substantivi vim sibi comparat velut apud Homerum Od. e. 400 *τόσσον ἀτὴν, ὅσσον τε γέγωνε βοήσας* ein Schreiender, sed in huius modi sententiis universa substantivi notio velut *ἄνθρωπος* vel *τίς* cogitatione supplenda est, plerumque articulus talibus participiis adiungi solet[3]).

Participia autem substantive dicta ea re discrepant a substantivo et adiectivo, quod vim ac notionem verbi hac ratione ostendunt, ut non solum diversam verbalis actionis qualitatem i. e. actionem perfectam sive imperfectam sive imminentem diversis formis scilicet activi, medii ac passivi generis significent, sed etiam verbi structuram retineant cum casum quem verbum unde derivata sunt regit, adsciscant velut si dico *γράφων ἐπιστολήν, ἐπιθυμῶν τῆς ἀρετῆς.*

[1]) Cfr. Eur. Med. 754. *ὁ Μαίας πομπαῖος ἄναξ* et Rhes. 216 *ὁ Μαίας παῖς, ... πέμψειεν, Ἑρμῆς.*
[2]) Kühner vol. II. § 480. 2.
[3]) Kühner griech. Gramm. II. 1. § 461. 4.

Pars I.
De participii cum articulo coniuncti usu.

Usus participii cum articulo substantive dicti apud Graecos multo latius patet quam apud nos; itaque Sophocles quoque minime raro articulum participio adiungit. Quod ad vim articuli attinet, proprie participii notionem definit atque effert, quod quidem duabus rationibus effici potest ac primum quidem ita, ut articulus certum quoddam genus significet, quo omnes res sive personas quae ad idem genus pertinent, complectitur quod apud Sophoclem saepius ita fit, ut ad certam quandam rem vel personam respiciatur. Altera ratio eo continetur, quod articulo participio adiuncto singularis quaedam res sive persona eiusque natura atque conditio efferatur et ab aliis eiusdem generis disiungatur.

Caput I.
Exempla proferuntur ubi articulus participio generalem tribuit significationem certae cuiusdam personae vel rei ratione plerumque habita.

§. 1. De personis pluralis participii cum articulo coniuncti dicitur.

O. R. 530 *ἃ γὰρ δρῶσ' οἱ κρατοῦν τες οὐχ ὁρῶ* Cogitat chorus cum haec dicit de Oedipo rege.

Ant 667 *ὅστις . . . . ἢ τοὐπιτάσσειν τοῖς κρατύνουσιν νοεῖ.*

Facit haec verba Creon et *τοῖς κρατύνουσιν* spectat ad eum ipsum cuius leges Antigona violaverat.

El. 340 ubi Chrysothemis potentiae Clytaemnestrae et Aegisthi ratione habita suadet Electrae:

τῶν κρατούντων ἐστὶ πάντ' ἀκουστέα ibid 396 *ἀλλ' οὐ διδάσκω τοῖς κρατοῦσι δ'εἰκαθεῖν.* ibid. 1014. *αὐτὴ δὲ νοῦν σχὲς . . . . τοῖς κρατοῦσιν εἰκαθεῖν.* Similiter singularis quoque numerus invenitur generali sensu dictus. Ant 738 ubi Creon Haemonem filium interrogat:

οὐ τοῦ κρατοῦντος ἡ πόλις νομίζεται; Phil. 386. *πόλις γὰρ ἔστι πᾶσα τῶν ἡγουμένων. τῶν ἡγουμένων* dicuntur Atridae, idem valet ad Phil. 6. *τῶν ἀνασσόντων.*

Deinde huc pertinent: Ai. 1095 *ὅθ' οἱ δοκοῦντες εὐγενεῖς πεφυκέναι*, quod Teucer ad Menelaum respiciens dicit.

Ant. 723. *καὶ τῶν λεγόντων εὖ* referendum ad Haemonem ipsum cum patre Creonte colloquentem.

Ant. 675. *τῶν δ'ὀρθουμένων . . . . . ἡ πειθαρχία.*

Eorum autem, qui erecti stant nec in fugam proripiuntur, plurimi servantur atque hoc ut fiat, facit oboedientia.

O. R. 597. *οἱ . . χρήζοντες* sunt homines egentes.

Ai. 1248. *εἰ τοὺς δίκῃ νικῶντας* scilicet Ulixem *ἐξοθήσομεν.*

El 237. *πῶς ἐπὶ τοῖσ φθιμένοις ἀμελεῖν καλόν*; sunt verba Electrae quae facit ad chorum caedem patris Agememnonis respiciens; in sequentibus usque ad. v. 250 ostendit si parentis occisi memoria obrueretur caedisque auctores impune ferrent facinus et pudorem prorsus interiturum et pietatem.

El. 112. *Ἐρινύες, αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶθ',*
αἳ τοὺς εὐνὰς ἐποκλεπτομένους.

Universe dicuntur h. l. Furiae *αἳ — — ὁρᾶθ'*, quae respicitis eos, qui inuste occiduntur. Hanc enim ob causam, quod deae illae, quae Erinyes appellantur, respiciunt iniuste caesos rogantur, ut aggrediantur et caedem Agamemnoni illatam ulciscantur. De eis autem quae post *ὁρᾶτε* posita reperiuntur, dissentiunt inter se viri docti, Porsonus enim Miscell p. 221. recte quidem negavit Furiarum esse adulteria ulcisci eaque causa ductus verba *τοὺς εὐν. ἐποκλεπτομένους* ut spuria delevit. Neque tamen ei atque Wundero assentiar, sed potius Hermannum sequar ac Schneidewinum, qui difficultatem ita tollit ut dicat Clytaemnestram post adulterium factum demum Agamemnonem interfecisse eamque ob causam Electram id quod proprie ad certum hunc casum pertineret ad legem quandam communem rettulisse.

Trach. 1160 *τῶν ἐμπνεόντων μηδενὸς θανεῖν ἔτο.* Docet h. l. Hercules Iovem sibi iam diu vaticinatum esse sibi a. nullo qui etiamnunc spiritum ducat, sed ab aliquo homine qui iam in Orcum descenderit sc a Nesso Centauro, quem sagitta veneno tincta interfecerat mortem inferri. *τῶν ἐμπνεόντων* recte explicat scholiasta *τῶν ζώντων πνεῦμα γὰρ ἡ ψυχή.*

Trach. 1173. *τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίνεται.*

Quem versum, quod locum communem eumque languidum praebeat, A. Nauck

et Schneidewin interpolatori tribuunt, attamen, ut mihi videtur, iniuria, primum, quod Sophocles omnino adamat eiusmodi locos communes ac locutiones proverbiales, deinde quod hic minime otiosa sunt verba, nam Hercules, cum in praegressis versibus dicat de oraculo in Sellorum luco sibi dato, quo promissum ei erat fore ut laboribus ab Eurystheo sibi impositis finis proponeretur, hoc nunc ita explicat, ut etiam a doloribus ab Deianira sibi allatis quibus nunc cruciaretur, non aliter nisi morte quae ei iam instabat liberari possit, quia mors plane absit a laboribus cuiusvis generis atque aerumnis. Ad sententiam huius loci confer: O. C. 955 ubi articulus ante participium omissus est.

O. C. 955. *θανόντων δ'οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται.* Participium *θανόντων* spectat ad Oedipum.

El. 1170. *τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους* Electra in mente habet patrem Agamemnonem mortuum.

Ant. 214 ubi chorus Creonti summum concedit imperium quod non solum ad vivos sed etiam ad mortuos pertineat

νόμῳ δὲ χρῆσθαι παντὶ σοί γ'ἔνεστί που
καὶ τῶν θανόντων[1]) χὡπόσοι ζῶμεν πέρι.

Ai. 988 ubi Teucer corpus Aiacis, qui sibi ipsi mortem consciverat, aspiciens dicit: *τοῖς θανοῦσί του*

φιλοῦσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν.

pro *θανοῦσι*, quod omnes libri praebent, Herwerden Exerc. crit. p. 112. scripsit *ἐχθροῖσί* quod Schneidewin et Nauck in textum receperunt, et M. Seyffert *σθένουσι*, neque tamen causa extare mihi videtur cur lectionem in codicibus traditam mutemus, nam bonum praebet sensum, cum nulla insit tautologia in verbis *θανοῦσι* et *κειμένοις* compositis, in quibus aliquis offendere possit, posterius enim prius accuratius describit significans mortuum stratum velut Phil. 359 Achilles dicitur: *κεῖνος μὲν οὖν ἔκειτ'* vel corpus occisi significatur inhumatum atque hoc ipsum, quod quis non sepultus erat, veteres turpe ducebant. Eadem significatio verbi *κεῖσθαι* invenitur Ai. 898 sq. *Αἴας ὅδ' ἡμῖν ἀρτίως νεοσφαγὴς κεῖται.* Ant. 1197. *ἔκειτο νηλεὲς — σῶμα.* Ant. 1240. *κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ.*

Ai 914. *πᾷ πᾷ κεῖται ὁ δυστράπελος — Αἴας.*[2])

[1]) In voce *θανόντων* de Polynice mortuo cogitandum.

[2]) Praeterea etiam propter verba quae sequntur 990, *καὶ μὴν ἔτι ζῶν* lectionem traditam *θανοῦσι* libenter servaverim, quod bonam efficiunt oppositionem.

Ant. 1173. *οἱ δὲ ζῶντες αἴτιοι θανεῖν*; participium spectat ad Creontem.

O. C. 1377, ubi Oedipus de impiis filiis haec facit verba: *ἵν' ἀξιῶτον τοὺς φυτεύσαντας σέβειν. τοὺς φυτεύσαντας* significat patres s. genitores; pluralis pro singulari positus est, ut sententia magis generalis maiore cum gravitate pronuntietur, quamquam proprie de uno tantum patre scilicet Oedipo ipso agitur. —

Est hic pluralis, qui dicitur maiestaticus, quo vis vocabuli aut augetur atque amplificatur ut l. l. et si dicitur *σκῆπτρα καὶ θρόνους.* cfr. O. C. 425 *ὃς νῦν σκῆπτρα καὶ θρόνους ἔχει* 449. 1354 aliisque locis, aut unus tantum significari dēbet, qui est e numero plurium eius generis, quo indefinitum et generale aliquid exprimitur, confer O. R. 366 ubi Teresias vates Oedipo dicit: *λεληθέναι σέ φημι σὺν τοῖς φιλτάτοις ἄσχιστ' ὁμιλοῦντ'*. Plurali numero unam matrem significat, cfr. infra. 1184 *ξὺν οἷς τ'οὐ χρῆν ὁμιλῶν, οὕς τ'ἔμ οὐκ ἔδει κἀνούν* quorum hoc ad solum patrem, superius ad solam matrem referendum. Cfr. O. R. 1007 *οὔποτ' εἰμι τοῖς φυτεύσασίν γ'ὁμοῦ* ib. 1012 *μίασμα τῶν φυτευσάντων λάβῃς.* Utroque loco participii pluralis de una matre intellegendus. Est igitur hoc schema pluralis maiestatici Sophocli satis usitatum eiusque usus plura exempla velut Ant. 10. Phil. 36 huc afferre possem neque tamen omnia ad participium pertinent, quam ob rem ea nos hic missa facianus et ad quaestionem nobis propositam redeamus. Quemadmodum *φυτεύσαντες* ita etiam *τεκόντες* cum articulo pro substantivo usurpatur certae cuiusdam personae ratione habita.

Sic O. R. 999. *τὰ τῶν τεκόντων ὄμμαθ' ἥδιστον βλέπειν. οἱ τεκόντες* parentes sunt; cogitat Oedipus qui loquitur h. l. de Polybo ac Moropa.

O. C. 507 *τοῖς τεκοῦσι γὰρ οὐδ' εἰ πονεῖ τις* etc. respicit Ismena cum haec universe dicat, patrem, quem Antigonae custodiendum tradit. cfr. verba antecedentia *φύλασσε πατέρα. . .*

El. 833 *εἰ τῶν φανερῶς οἰχομένων εἰς Ἅιδαν* verba, quae Electra facit, intellegenda sunt de Oreste quem in Orcum descendisse illa pro certo habebat.

Ant. 730 ubi Creon Haemonem hoc modo interrogat:

ἔργον γάρ ἐστι τοὺς ἀκοσμοῦντας σέβειν;

dicit Creon Antigonam, nam eam in numero *τῶν ἀκοσμούντων* habuit quia, quod iussisset, neglexerat itaque peccaverat; confer Phil. 387 *οἱ δ' ἀκοσμοῦντες βροτῶν*, quod tamen non ad certam quandam personam referendum, sed nihil nisi generalem sensum exhibet. Eadem ratio valet ad

Ant. 904. *καίτοι σ'ἐγὼ ἐτίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ*
Ai. 1252. *ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ κρατοῦσι πανταχοῦ*
Trach. 296 *ὅμως δ'ἔνεστι τοῖσιν εὖ σκοπουμένοις*

ταρβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα μὴ σφαλῇ ποτε

Facit haec verba Deianira, quae quamquam ex eis quae Lichas de prospera mariti fortuna sibi nuntiaverat summum cepit gaudium, tamen magna sollicitudine afficitur, quum quae modo liberae virgines fuerunt in servitutem abactas videns, quam cito res secundae mutari in adversas soleant, recordatur. Possit quis dicere, Deianiram h. l. sui ipsius rationem habere idque fieri quidem potuisse non negaverim; attamen generalis sententiae vis mihi quidem hic praevalere videtur, cum in sequentibus demum Deianira de se verba faciat. *ἐμοὶ γὰρ οἴκτος* etc.

Rursus ad certam quandam personam respiciunt:

Ant. 564 *νοῦς τοῖς κακῶς πράσσουσιν . . . ἐξίσταται* haec ad Antigonam et Ismenam pertinere ex versu proxime antecedenti elucet.

Deinde cfr. O. C 1023. *οἱ σπεύδοντες*. Phil. 483 *τοὺς ξυνόντας* dicuntur Neoptolemi comites.

Trach. 727. *ἀλλ' ἀμφὶ τοῖς σφαλεῖσι μὴ ἐξ ἐκουσίας,*
ὀργὴ πέπειρα i. e. in eos, qui inviti deliquerunt ira lenis est.

Sub *τοῖς σφαλεῖσι* Deianira intellegenda est.

Trach. 583. *κακὰς δὲ τόλμας — — — τάς τε τόλμωσας στυγῶ.* Fatetur h. l. Deianira malas artes neque ipsam exercere neque discere et in eas quae exerceant odium concipere. Ant. 560 *τοῖς θανοῦσι ὠφελεῖν*. Antigona fratribus mortuis utilis esse vult.

El. 1405 ubi Clytaemnestra, cum Electram et Orestem vim sibi afferre velle cognosset, exclamat *ἰὼ στέγαι — — — τῶν δ' ἀπολλύντων πλέα. τῶν δ'ἀπολλύντων* significat peremptores Orestem imprimis et Electram.

El. 1419 ubi chorus, cum Orestes Clytaemnestrae caedem inferat, haec facit verba: *ζῶσιν οἱ γὰς ὑποκείμενοι.*

παλίρρυτον γὰρ αἷμ' ὑπεξαιροῦσι τῶν
κτανόντων οἱ πάλαι θανόντες.

Quod ad sensum loci attinet, *ὑποκείμενοι* et *οἱ πάλαι θανόντες* ad Orestam certe spectant, quem chorus et Clytaemnestra diu mortem obisse putabant; *τῶν κτανόντων* ad Agamemnonis occisores Clytaemnestram et Aegisthum, de quibus iam poenas sumit Orestes. Pluralis *οἱ ὑποκείμενοι* et *οἱ πάλαι θανόντες* de uno tantum proprie dictus est pluralis maietaticus[1]), quo vis vocabulorum augeatur. Articulus h. l. non solum ut prioribus locis sententiam magis generalem participio infert, sed etiam graviorem efficit oppositionem quam quisque qui verba legit statim

[1]) Cf. p. 8.

intelleget. cf. O. C. 1016. *οἱ μὲν ἐξηρπασμένοι — —, ἡμεῖς δ' οἱ παθόντες.*

Phil. 1378. *πρὸς τοὺς μὲν οὖν σε τήνδε τ'ἔμπνουν βάσιν*
παύσοντας ἄλγους κἀποσώσοντας νόσον
πάνσοντας κἀποσώσοντας . . Neoptolemus dicit Asclepii filios ad quos Philoctetam adducere voluit ut eius morbum sanarent. —

O. C. 1307. *τοὺς τάδ' ἐκπράξαντας ἐκβάλοιμι γῆς*. Polynices, qui haec facit verba sub *τοὺς τάδ' ἐκπράξαντας* intellegit maxime Eteoclem fratrem, qui se regno expulerat, simul cives qui ab eius partibus steterant.

El. 34 ubi Orestes: *δίκας ἀροίμην τῶν φονευσάντων πάρα.*

O. R. 263. *καὶ ταῦτα τοῖς μὴ δρῶσιν εὔχομαι θεοὺς* etc.

Sermo est de eis, qui omittunt facere, quae Oedipus mandavit, scilicet, ut indicarent aut investigarent interfectorem Lai.

El 495. *ἐπέβα — ἁμιλλήμαθ' οἷσιν οὐ θέμις . | πρὸ τῶνδέ τοί μ'ἔχει | μή ποτε μή ποθ' ἥμιν | ἀψεγὲς πελᾶν τέρας | τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.*

Totus hic locus non ex omni parte sanus esse videtur, primum enim, quod libri praebent *τῶνδέ τοί μ'ἔχει* per se bene non intellegitur, quam ob rem Schneidewinus recte supplendum esse censet nomen aliquod quale sit *θράσος* vel *δόξα*, verbum ipsum, quod metro sufficeret nondum invenit neque aliis in mentem incidit neque mihi praesto est. Sensus autem verborum *τοί μ'ἔχει*, si *θράσος* cogitatione suppleamus, quod sententiae optime convenit, idem fere est ac verbi »confido« apud Latinos. Deinde de eis quoque, quae sequuntur, participiis valde dubitaverunt viri docti, e quibus Schneidewinus pro *ἀψεγές*, quod pro spurio habet, *μαψεπές* scribendum atque participia *δρῶσι καὶ συνδρῶσιν* ad *ἡμῖν* referenda esse censet et ita quidem, ut hic fere sensus efficiatur: confido autem portentum (somnium Clytaemnestrae) nobis Agamemnonis sociis non irritum fieri. Neque tamen ego hanc interpretationem probaverim primum, quod *ἀψεγές* in codicibus servatum est, deinde quod non de Agamemnonis amicis comitibusque h. l. sermo est, sed de eius interfectoribus, qui sunt Clytaemnestra et Aegisthus, nam de nulla re nisi de Furiis poenas petentibus et de flagitiis ab illis commissis loquitur chorus in versibus qui antecedunt 489—495 *ἥξει . . . οἷσιν οὐ θέμις*.

Praeterea si poeta de Agamemnonis amicis cogitasset, certe alio vocabulo atque nostro loco extat velut *φίλοις* vel simili usus esset. Quibus de causis participia *τοῖς δρῶσι κ. σ.* cum Wundero de Clytaemnestra eiusque adiutore (in quem optime quadrat *συνδρῶσι*) intellegi volo, *ἡμῖν* autem dativum ex verbo *πελᾶν* aptum esse puto altero dativo *τοῖς δρῶσι κ. σ.* ab adiectivo *ἀψεγές* pendente; itaque

hunc loci sensum esse statuerim: confido autem portentum i. e. somnium Clytaemnestrae nunquam ad nos accessurum esse tale quod non detestentur scelerum auctores sive tale quod non eis gravissimum sit, ut recte explicasse mihi videtur Wunderus.

Cf. Ant. 325 ubi Creon custodi dicit: *εἰ δὲ μὴ φανεῖτε τοὺς ταῦτα δρῶντας.*

Eis quae adhuc attuli exemplis nonnulla perfecti participia adiciam, quae et ipsa cum articulo coniuncta substantivi vices explent et simili modo atque participia modo allata generalem exhibent vim, classes quasdam hominum, qui in certa quadam condicione versentur, significantia.

De perfecti usu simulque de significatione participii perfecti plures viri docti iam data opera egerunt recentioribus temporibus; nam et quem supra iam attuli, H. Warschauer (de perfecti apud Homerum usu diss. inaug. Vratisl. 1866 et L. Brock (de perfecti et plusquamperfecti usu Aeschyleo diss. inaug. ib. 1865) et R. Haupt (De perfecti plusquamperfecti futuri exacti usu Euripideo diss. inaug. Gissae 1867) plene de perfecti usu Homerico et Aeschyleo et Euripideo disseruerunt, quam ob rem non opus esse mihi videtur hac in re maiorem operam collocare. Attamen, quum in sequentibus de singulis perfecti participiorum exemplis dicendum mihi sit, non possum, quin ad exempla quae statim afferam melius intellegenda pauca in universum de perfecti usu praemittam. Significatio et usus perfecti qualis sit si quaeris in Sophoclis fabulis, eodem modo ut in reliquis Graecorum scriptis duo maxime genera distinguenda sunt perfectorum. In perfecto enim inest gradationis cuiusdam notio radice reduplicata imprimis indicata, cuius tres extant modi, quorum primus is est, ut simplex verbi significatio, qualem praesens tempus habet, augeatur verbique notio ad summam perfectionem perducatur velut cum dicitur a radice *τλα* ferre derivatum *τέτληκα* patiens sum, is sum, qui patiatur; alter ut id quod actione praesentis temporis peragitur in perfecto iam effectum sit et quasi stabilitum ac permanens animo proponatur, ut brevi dicam, ut actio verbi quasi in statum abierit, velut a verbo *θνήσκειν* »mori« perfectum formatur *τέθνηκα* »mortuus sum« i. e. posteaquam diem supremum obii, nunc mortui nomine vocor omnesque hominis mortui notae in me reperiuntur. Hoc genus perfecti Graeci praecipue excoluerunt. Quod ad tertium genus attinet, ut verbi actio quasi in ipsius negationem transeat exempli gratia si dicam »fuimus Troes« i. e. haud iam sumus »vel dedi,« cum dandi actio absoluta sit neque iam quidquam detur, id genus Graeci parcius coluerunt potissumum postrema linguae aetate. Ad primum gradum perfecti intensivi, ut recte vocatur a grammaticis, quod cum priscis temporibus, quorum luculentissima monumenta nobis relicta sunt carmina Homerica, frequentissimo esset in usu, posteriore tempore e sermonis quotidiani

usu maximam partem evanuit, pertinent apud Sophoclem, qui et ipse hoc perfecti genere non abundat, O. C. 92. *κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις, ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν.*

Loquitur Oedipus de eis qui benigne se in hospitium exceperint et etiamnunc excipiant, eisque magnum lucrum se paraturum promittit.

Ant. 67 ubi Ismena declarat: *τοῖς ἐν τέλει βεβῶσι* sc. Creonti *πείσομαι*, scholiasta explicat *βασιλεῦσι* sunt qui summum tenent imperium.

Cf. Ai 1072. *μηδέν — — τῶν ἐφεστώτων κλύειν.*

O. C. 1016. *οἱ μὲν ἐξηρπασμένοι* sunt raptores qui Creontis iussu Oedipi filias abduxerant.

O. C. 646. *ἐν ᾧ κρατήσω τῶν ἔμ' ἐκβεβληκότων. τῶν ἔμ' ἐκβεβληκότων* ei sunt qui in ea conditione versentur, ut Oedipum in exilium miserint. — Cf. Ant. 428 *τοῖσι τοὔργον ἐξειργασμένοις.*

Ad alterum genus perfecti, quod cum apud reliquos Graecorum scriptores tum apud Sophoclem latissime patet, h. l. pauca tantum participia cum articulo coniuncta proferam, alio loco plura allaturus.

Phil. 1312 ubi Philoctetes Neoptolemi patrem Achillem summis effert laudibus dicens eum in numero et vivorum et mortuorum praestantissimam semper obtinuisse gloriam: *ὃς μετὰ ζώντων ὅτ' ἦν, ἦκον' ἄριστα νῦν δὲ τῶν τεθνηκότων.*

Cf. Ai 1154 *μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς.*

El. 989 *ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν* [1]). *οἱ καλῶς πεφυκότες* sunt ei qui egregia indole praediti sunt. — Pertinet huc quoque Ai. 1072 *τῶν ἐφεστώτων*, sunt ei qui aliis praesunt quod modo ad Ant. 67 contulimus. O. R. 1047 *τῶν παρεστώτων πέλας* de eis qui adsunt dictum. Ai. 1245. *σὺν δόλῳ κεντήσεθ' οἱ λελειμμένοι*; *λελειμμένοι* respondet praegresso *ἡσσημένοις*, sunt ei, qui superati sunt atque in hac condicione manent, dicuntur autem Aiax et Teucer.

Exempla adhuc a nobis allata si examinemus, videmus participiis illis in numero plurali cum articulo positis classes quasdam hominum qui actionem aliquam confecerint vel conficiant vel omnino in conditione aliqua versentur, significari, itaque plerumque generalem quandam sententiam effici nam ea inest vis articulo ut generale quid exprimat ac genus quoddam rerum sive hominum indicet.

---

[1]) Cogitat Electra cum haec dicat de se ipsa ac de Ismena.

Notandum tamen est ad hunc usum in plurimis locis a nobis laudatis participia, quamquam universe dicuntur et pluralem exhibent numerum, tamen ad certam quandam personam eiusque conditionem, in qua versetur, referri, ut tanquam instar reliquis eiusdem generis hominibus proponatur. Qua in re differentia quaedam perspicitur, quae extet inter participium quod cum articulo cuniunctum substantivi vices suscipit et nomen substantivum ipsum. Neque enim ullum inveni locum, ubi substantivum eadem ratione cum articulo universe dictum certam quandam personam eius generis quod significat, et conditionem qua utatur, respiciat, quod quidem bene intellegitur ex natura participii quo homines agentes et quasi viventes sub oculis nostris in scenam producuntur neque tamen convenit nominibus substantivis, quae nihil nisi notiones abstractas exprimunt nulla conditionis cuiusdam, in qua quis versetur, ratione habita.

Loci quidem, ubi participium cum articulo ita, ut modo exposui usurpatum est supra omnes a me allati sunt, velut O. R. 530 *ἃ . . . . κρατοῦντες* ubi quamquam quid chorus sentiat generaliter expressum est, tamen e conexu sententiarum imprimis ex versu antecedenti ubi Creon de Oedipo loquitur facile apparet ad quem spectent verba. Ant. 668 *τοῖς κρατύνουσιν* ad Creontem referendum est. El. 340 *τῶν κρατούντων* ad Clytaemnestram quod etiam sequens *τῆς δὲ τικτούσης μέλειν* indicat, Tr. 1173. *τοῖς γὰρ θανοῦσι . . . .* Hercules suam ipsius mortem in mente habet. Ant. 723 *καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν* quibus in verbis Haemonem ad se ipsum respicere manifestum est, ibid. 730 *τοὺς ἀκοσμοῦντας* ad Antigonam, quod legem a Creonte promulgatam violaverat, quin spectet, dubitari nequit. El. 989 *τοῖς καλῶς πεφυκόσι.* Electra ipsa, quae loquitur et soror eius Ismena intellegi debent, quamvis generalem speciem prae se ferant verba.

Cf. Ai. 1154 *μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς*, quibus verbis Teucer Menelaum gravissime monet, ne Aiacem mortuum iniuria afficiat.

Eandem explicandi rationem ad plura alia exempla valere singulis in locis supra docere studui et quicunque locos illos diligenter inspiciet, haud dubie concedet. Discrepant ab his exemplis ei loci ubi participium cum articulo certam quidem classem hominum significat neque tamen ad unam tantummodo personam huius generis referri potest, sed de pluribus hominibus eiusdem generis dicitur velut O. C. 1023. *οἱ σπεύδοντες.* Trach. 583 *τάς τε τολμώσας . . . .* O. C. 646 *τῶν ἔμ' ἐκβεβληκότων.* Ant 428. Phil 1312. et Ai 1245. quos locos omnes supra laudavimus. —

§ 2. De usu singularis participii cum articulo coniuncti.

Ut apud Sophoclem pluralis participii cum articulo generaliter de quibusdam hominum classibus dicitur et quidem hoc modo, ut aut omnino genus quoddam hominum significatur aut in hoc genere significato certi cuiusdam hominis eiusque conditionis ratio habeatur, ita similiter etiam singularis numerus participii cum articulo iuncti aut plane generaliter ponitur, ut unam quamque personam cuiusvis generis significare possit ac vim quam dicant collectivam acquirat, quae maxime in eo cernitur, quod cum per speciem de uno tantummodo homine agi videatur re vera totum eiusmodi hominum genus intellegitur, aut quamquam universe dicitur, tamen ad certam quandam personam refertur. Cuius usus exempla haec profero.

Tr. 297. *ταρβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα μὴ σφαλῇ ποτε* participium generaliter cum articulo dictum spectat ad Herculem de cuius fortuna paulo ante Deianira delectatur.

El. 1219 *τοῦ γὰρ ζῶντος* (sc. Orestis) *οὐκ ἔστιν τάφος.*

El. 990 sq. ubi chorus consilium Aegisthi interficiendi, quod cepit Electra, respiciens duabus Agamemnonis filiis dicit: *ἡ προμηθία καὶ τῷ λέγοντι καὶ κλύοντι σύμμαχος.*

Ant. 737 *τοῦ κρατοῦντος* quod supra iam contuli cum *κρατοῦντες*. Creon qui facit haec verba haud dubie de se cogitat, quod et per se et ex eis quae sequuntur v. 738 Haemonis verba *καλῶς ἐρήμης . . . . γῆς ἄρχοις*, patet O. R. 618. *ὅταν ταχύς τις οὐπιβουλεύων λάθρᾳ.* Oedipum verbis *τίς οὐπιβουλεύων* usum ad Creontem respicere nemo est qui negaverit, nam ex toto sententiarum nexu apparet Oedipum timere ac suspicari, ne Creon sibi insidias struat atque regnum eripiat. —

Ant. 1020 *εἶκε τῷ θανόντι* sc. Polynici. cf. ibi 1030.

Trach. 1244. ubi Hercules quaerit ex Hyllo filio

οὐ γὰρ δικαιοῖς τοῦ φυτεύσαντος κλύειν.

Participium cum articulo, quamquam universe dictum videtur, tamen ad Herculem ipsum pertinere quisvis facile intelleget. —

El. 1485. *τί γὰρ βροτῶν ἂν σὺν κακοῖς μεμιγμένον*

θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέροι

in *θνήσκειν ὁ μέλλων* ad Aegisthum cui Orestes mortem inferre vult, respiciendum. Sensus totius loci hic est: Quid enim ex numero hominum malis afflictorum is, cui moriendum est, differenda morte lucratur? quod tamen mihi non bene convenire videtur cum reliquis verbis, nam certe ridiculum foret, si Electra summo furore in patris occisorem Aegisthum concitata eiusmodi generalem sententiam proferret, qua causa

contineretur, cur fratrem moneret, ne plura faceret verba ad Aegisthum, sed statim eum interficeret. Quam ob rem censeo Nauckium Schneidewinum Dindorfium duos hos versus iure ut futiles et inutiles seclusisse, quibus abiectis nexum sententiarum clarum esse ac multo facilius atque elegantius currere orationem nemo est, qui neget.

Iam afferendi sunt loci, ubi singularis participii cum articulo plane generaliter et tanquam collective positus est.

Ant. 1158 *τύχῃ γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχῃ καταρρέπει*
τὸν εὐτυχοῦντα τόν τε δυστυχοῦντ' ἀεί.

Ai. 152 *καὶ πᾶς ὁ κλύων χαίρει μᾶλλον*
τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων

verba *τοῦ λέξαντος* libris tradita quae, si cum *κλύων* coniungantur, molestum pleonasmum, sin autem ex *μᾶλλον* pendeant, malum efficiant sensum, Nauckius recte e textu reiecit ac post *μᾶλλον* cogitatione supplevit *ἢ πρόσθεν*. Itaque sensus hic evadit: Et quicunque (inimicus) audit (calumnias ab Ulixe Aiaci illatas) maiore cum voluptate quam antea tuis aerumnis insultat.

Ai. 157 *πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει. οἱ ἔχοντες* dicuntur non solum divites, sed quicumque prae ceteris fortuna, arte, virtute, auctoritate eminent.

Phil. 619 ubi Neoptolemus, postquam promiserat se Philoctetam sive volentem sive invitum capturum et Troiam abducturum esse dicit: *καὶ τούτων κάρα τέμνειν ἐφεῖτο τῷ θέλοντι μὴ τυχών*. i. e. et si hoc non perfecerit, cuilibet sui percutiendi potestatem fecit.

Cf. Ai. 1146 *πατεῖν παρεῖχε τῷ θέλοντι ναυτίλων*.

O. R. 393 ubi Oedipus loquitur de aenigmate Sphingis a se soluto. *καίτοι τό γ' αἴνιγμ' οὐχὶ τοὐπιόντος ἦν*. *τοὐπιόντος* i. e. *τοῦ τυχόντος*.

Cf. O. C. 752 *οὐ γάμων ἔμπειρος, ἀλλὰ τοὐπιόντος ἁρπάσαι*. Loquitur Creon h. l. de misera Antigonae conditione. Phil. 389. *ὁ δ' Ἀτρείδας στυγῶν* respicit autem Neoptolemus cum haec dicat ad Philoctetam.

El. 1197 *οὐδ' οὐπαρήξων οὐδ' ὁ κωλύσων πάρα*; Quaerit Orestes ex Electra de iniuriis sibi a Clytaemnestra illatis lamentante, num nemo adfuerit, qui eam a malis illis atque contumeliis defendere potuisset.

Ant. 261 *οὐδ' ὁ κωλύσων παρῆν*.

Phil. 1242 *τίς ἔσται μοὐπικωλύσων τάδε*;

Ant. 262 *εἷς γάρ τις ἦν ἕκαστος οὐξειργασμένος* ad *οὐξειργασμένος* conferas ibid. 252 *οὐργάτης*.

O. R. 246. *κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ'* loquitur Oedipus in universum de

auctore caedis Lai eique perniciem imprecatur. cf. O. R. 277. ubi non tam generale quid quam indefinitum exprimitur, loquitur enim chorus de occisore Lai nondum invento: *οὔτ' ἔκτανον γὰρ οὔτε τὸν κτανόντ' ἔχω δεῖξαι*. O. R. 293 *τὸν δὲ δρῶντ' οὐδεὶς ὁρᾷ* scilicet occisorem Lai.

§ 3. Participia cum articulo de rebus dicuntur ita, ut vel certae cuiusdam rei ratio in eis habeatur vel ut prorsus generalem sententiam praebeant.

Iam a participiis hominum classes significantibus de quibus adhuc locuti sumus, transeamus ad participia quae cum articulo coniuncta res exprimunt atque ea, quae ad res pertinent. Haec quoque participia genera rerum significantia generalem habent vim. Ac primum quidem ea participia tractabo, quae cum articulo in numero plurali posita genus quidem rerum indicant, attamen ad certas quasdam res referenda sunt, quas certus quidam homo egit sive agit vel cum quibus ei omnino aliqua ratio intercedit, cuiusmodi exempla haec inveni: O. C. 1269 *τῶν γὰρ ἡμαρτημένων ἄκη μὲν ἔστι, προσφορὰ δ' οὐκ ἔστ' ἔτι*.

τὰ ἡμαρτημένα sunt peccata et quidem Polynicis, etenim si haec verba conferam cum verbis v. 1342 sq. non dubium videtur, quin *ἄκη τῶν ἡμαρτημένων* eo referendum sit, quod Polynices patris saluti consulturus reducere eum in patriam atque victoria de inimicis reportata augere vult eaque re omnem quam sibi contraxerit culpam violatae pietatis redimi posse putat. Cfr. O. C. 439. *κἀμάνθανον* (Oedipus). . . .

μείζω κολαστὴν τῶν πρὶν ἡμαρτημένων. i. e. et quum intellexissem me ira abreptum maiores quam pro delictis poenas de me sumpsisse.

Trach. 1127 *τοῖς γε πρόσθεν ἡμαρτημένοις*, de eis dictum quae Deianira in Herculem peccavit, quod veste venenata quamvis nescia ei perniciem paravit.

El. 1333 *ἦν ἂν ὑμῖν ἐν δόμοις | τὰ δρώμεν' ὑμῶν*.[1]) *πρόσθεν ἢ τὰ σώματα*. Apte scholiasta *τὰ δρώμενα* explicat *τὰ βουλεύματα*, nam significat *τὰ δρώμενα*, ut Wunderus recte interpretatur, »ea, quae suscipiuntur, geruntur, fiunt i. e. consilia, conatus«.

[1]) Pro *ὑμῶν* propter antecedens *ὑμιν* unde pleonasmus oritur qui habet aliquam offensionem fortasse *οἷμαι* scribi potest, quod coniecit Schneidew. neque tamen ipse hanc coniecturam in textum recepit neque ego hoc fecerim, quum genet. *ὑμῶν* vi quadam positus videatur inter participium et substantivum *τὰ σώματα*.

τὰ δρώμενα eodem modo usurpatur huius fab. 85. *ταῦτα γὰρ φέρει | νίκην τ'ἐφ' ἡμῖν καὶ κράτος τῶν δρωμένων.* Cf. Trach. 588. *ἀλλ' εἴ τις ἔστιν πίστις ἐν τοῖς δρωμένοις.* O. C. 1644. *Θησεὺς παρέστω μανθάνων τὰ δρώμενα.* O. C. 1144. ubi Theseus egregia facit verba:

οὐ γὰρ λόγοισιν τὸν βίον σπουδάζομεν
λαμπρὸν ποιεῖσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς δρωμένοις.

h. l. *τὰ δρώμενα* significat non tam consilia quam ipsa facta sive res quae geruntur quod iam ex eo elucet quod oppositum est praegresso *λόγοισιν.* Praeter haec exempla Wunderus ad El. 1333 plures locos ex Euripide comparat velut Iph. T. 1295 *εἰδέναι τὰ δρώμενα.* Cf. Phoen. 1367. et 1344. ibid. *ὃς πᾶν ἀγγελεῖ τὸ δρώμενον,* ubi participium eandem habet vim atque locis Sophocleis.

Ant. 215. *ὥστ' οὖν σκοποὶ νῦν ἔστε*[1]) *τῶν εἰρημένων. τῶν εἰρημένων* i. e. quod a Creonte interdictum erat ne quis Polynicem sepeliret. *τὰ εἰρημένα* sunt h. l. iussa. Ceteris locis nihil nisi verba significat velut O. C. 257 ubi chorus Oedipo dicit: *φωνεῖν πέρα τῶν πρὸς σὲ νῦν εἰρημένων.* El. 1186. *ἐν τῷ διέγνως τοῦτο τῶν εἰρημένων.* O. R. 544 *ἀντὶ τῶν εἰρημένων ἴσ' ἀντάκουσον.*

Cfr. ib. 1056 *τὰ δὲ ῥηθέντα βούλει μηδὲ μεμνῆσθαι μάτην.* —

Cfr. O. C. 1147. *ἀκραιφνεῖς τῶν κατηπειλημένων.* Sermo est de filiis Oedipii quas Theseus a periculis (a Creonte) intentatis, incolumes patri restituit. El. 1011, ubi Chrysothemis Electrae quae de matre et Aegistho occidendis verba fecerat, haec promittit:

τὰ μὲν λελεγμένα ἄῤῥητ' ἐγὼ . . . . φυλάξομαι.

Cf. O. R. 604 ubi Creon Oedipo dicit *πυθοῦ τὰ χρησθέντ'* i. e, oracula. El. 29, *τὰ μὲν δόξαντα* i. e. sententias *δηλώσω,* suut verba Orestis; eiusdem fab. 1288, *τὰ μὲν περισσεύοντα τῶν λόγων ἄφες.* Petit h. l. Orestes ab Electra ut flumen verborum, ut ita dicam, cohibeat eique solum demonstret rationem qua facillime Agamemnonis interfectores occidat. Praeterea huc refero:

Phil. 1358 *τἄλγος τῶν παρελθόντων,* quod dictum de iniuriis Philoctetae prioribus temporibus ab Atridis et Ulixe illatis. El. 277. *ἐγγελῶσα.* (Clytaem) *τοῖς ποιου-*

[1]) Ita hunc locum constitui ex coniectura Rauchensteinii, quod lectio librorum in conexum sententiarum non quadrat. Quod Schneidew. scribendum proposuit *καλῶς σκοποὶ νῦν ἔστε . . . .* sententiae quidem sufficit, attamen a scriptura tradita nimis discedere mihi videtur, quae haec est: *ὡς ἂν σκοποὶ νῦν ἦτε. . . .*

μένοις. El. 549 ubi Clytaemnesta fatetur: *ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ εἰμὶ τοῖς πεπραγμένοις*[1]) *δύσθυμος* participium pertinet ad caedem Agamemnonis.

Cf. O. R. 1237 ubi nuntius loquitur de interitu Jocastae

τῶν δὲ πραχθέντων τὰ μὲν ἄλγιστ' ἄπεστιν.

O. C. 1115. Oedipus filias a Theseo sibi redditas adhortatur ut quae gesta sint, sibi enarrent: *τὰ πραχθέντ' εἴπαθ'.* Cf. O. C. 1581 ubi *ἄγγελος* loquitur de eis quae acciderunt, antequam Oedipus discederet e vita et quum discederet dicens: *ἃ δ' ἦν τὰ πραχθέντ'. . . .* Phil 131. *τὰ συμφέροντα.*

Jam ea exempla profero, ubi participium cum articulo in singulari numero positum quamquam speciem aliquam generalem exhibet tamen ad certam quandam rem pertinet.

Ai. 528 ubi Aiax ad Tecmessam verba facit:

καὶ κάρτ' ἐπαίνου τεύξεται. . . . . ἐὰν μόνον τὸ ταχθὲν εὖ τολμᾷ τελεῖν. τὸ ταχθὲν postea indicatur v. 530. *κόμιζε — παῖδα.*

Phil. 1010 *πλὴν τὸ προσταχθὲν ποιεῖν* intellegendum de eis quae Ulixes Neoptolemo facienda mandaverat. El. 40. *ἴσθι πᾶν τὸ δρώμενον.* i. e. quod agitur scilicet in aedibus Clytaemnestrae.

O. C. 138. *φωνῇ γὰρ ὁρῶ, τὸ φατιζόμενον*

τὸ φατιζόμενον spectat ad proverbialem locutionem praecedentem: voce video, qua caecitatis quam misera sors sit, indicatur. —

τὸ φατιζόμενον interpungendo a praegressis verbis separandum esse, quod sic esset additum ut *τὸ λεγόμενον* dici soleret, recte adnotavit Hermannus cf. ad sensum Ant. 829 *ὡς φάτις ἀνδρῶν.* Phil. 675 *τὸ γὰρ νοσοῦν* i. e. *ἡ νόσος, ποθεῖ. . . .*

O. C. 1694. *τὸ φέρον ἐκ θεοῦ καλῶς φέρειν χρὴ . . . . . τό φέρον* est sors, fortuna, fatum. *καλῶς* iungendum cum *τὸ φέρον* ut sit *τὸ ἐκ θεοῦ καλῶς πεμφθέν.*

[1]) Quod ad discrimen attinet, quod est inter *πεπραγμένοις* et *πραχθέντων,* participium perfecti cum facinus ipsum tum maxime statum inde profectum ac praesenti tempore permanentem, participium aoristi nihil nisi rem ipsam semel factam significat status inde effecti nulla ratione habita. Rem ita se habere etiam loci modo laudati docent; priore enim loco Clytaemnestram ad praesentem statum ex caede Agamemnonis profectum spectare, quisque qui verba legit, concedet, altero loco *ἐξάγγελος* part. aor. usus nihil nisi caedam ipsam quam Iocasta paulo ante sibi intulerat, significat, minime statum inde ortum respiciens.

Simillime huius fab. 1540 *τοὐχ θεοῦ παρόν* dictum erat. Sensus autem totius loci is est, ut chorus Oedipi filias admoneat, ut fatum dei utile aequo animo tolerent. Fatum illud autem intellegendum de morte Oedipi, ex qua Antigona et Ismena summum capiunt dolorem.

Iam sequuntur ei loci in quibus participium cum articulo de rebus non nisi universe dicitur.

Ac singularis quidem numerus invenitur:

Ant. 607 *τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον καὶ τὸ πρὶν ἐπικρατεῖ*[1]) *νόμος ὅδ'.*

Trach. 144. *τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται χώροισιν αὐτοῦ, ...*

Sententiam poetae bene declaravit Camerarius: »Nam adolescentia intra suam aetatem tuta munitaque pascitur hoc est educitur et adolescit, neque tangitur ullo externo malo. Hoc enim significat vitare illam aestum, imbres, ventus.« De verbis *χώροισιν αὐτοῦ* multum a viris doctis disputatum est, equidem scholiastam ac Dindorfium, qui lectionem traditam defendunt, sequar, quamquam non negaverim praebere haec verba difficultatem aliquam in explicando. — Praeterea huc refero, quod legitur O. R. 110 ubi Creon ad occisorem Lai investigandum respiciens dicit: *τὸ δὲ ζητούμενον ἁλωτόν, ἐκφεύγει τἀμελούμενον.* Phil. 890 *μὴ βαρυνθῶσιν . . . . . πρὸ τοῦ δέοντος.* cfr. O. C. 1220. *ὅταν τις ἐς πλέον πέσῃ τοῦ δέοντος.* Libri habent: *ὅταν — τοῦ θέλοντος* i. e. ubi quis in maiorem inciderit cupiditatem scilicet longioris vitae, nam *ἐς πλέον τοῦ θέλοντος* dictum pro *ἐς πλέον τοῦ θελήματος.* Reiskio *θέλοντος* in *δέοντος* mutandum videbatur, quod mihi quoque probabilius videtur, nam si *θέλοντος* scribamus molesta oritur repetitio eius, quod in initio cantus iam dictum erat verbis *ὅστις τοῦ πλέονος μέρους χρῄζει, δέοντος* autem optime respondet voci *μετρίου* ac bene congruit etiam cum sequentibus:

ὁ δ' ἐπίκουρος — — — θάνατος ἐς τελευτάν.

Cum hoc loco comparandus Trach. 196

τὸ γὰρ ποθοῦν ἕκαστος ἐκμαθεῖν θέλων
οὐκ ἂν μεθεῖτο, πρὶν καθ' ἡδονὴν κλύειν.

Diversum in modum viri docti hunc locum interpretati sunt. Hermannus *τὸ ποθοῦν* habuit pro nominativo, ut *τὸ ποθοῦν οὐκ ἂν μεθεῖτο* dictum sit pro *οἱ γὰρ ποθοῦντες οὐκ ἂν μεθεῖντο* verbis *ἕκαστος ἐκμαθεῖν θέλων* explicandi causa adiectis pro

[1]) *ἐπικρατεῖ* cum H. Köchly scripsi, cum quod libris traditum est *ἐπαρκέσει* in sententiam non quadret. —

ἑκάστου ἐκμαθεῖν θέλοντος. Attamen haec interpretatio mihi nimis audax esse videtur, accedit, quod ad *ἐκμαθεῖν* necessario nomen rei quam quisque cognoscere voluisset, addi debebat. Scholiasta *τὸ ποθοῦν* pro *τὸ ποθούμενον* dictum accepit ut *τὸ θέλον* O. C. 1220, quod Wunderus comparavit, pro *τὸ θέλημα.* Habuit igitur pro accusativo qui regatur a verbo, *μεθεῖτο.* Fortasse locus ita explicari potest, sensus certe bonus efficitur, quamquam concedendum est non omni ex parte probatum *τὸ ποθοῦν* activum pro passivo *ποθούμενον* dici posse. Nauckius locum corruptum esse putans scribendum proponit: *τὰ γὰρ παρόνθ' ἕκαστος ἐκμαθεῖν ποθῶν,* quae lectio mihi non arridet, quod sententiam nimis vulgarem exhibet, neque video causam cur *θέλον,* cui nihil offensionis inest in *ποθῶν* mutaverit. Praeterea huc refero:

Phil. 926. *τῶν γὰρ ἐν τέλει κλύειν . . . . . τὸ συμφέρον ποιεῖ.*

Trach 742. *τὸ γὰρ φανθὲν τίς ἂν δύναιτ' ἂν ἀγένητον ποιεῖν;*

τὸ φανθέν dicit quod in lucem editum est, quod eodem redit quo *τὸ πραχθὲν* quod scholiasta posuit. *φανθέν* quod libri habent Nauck in *κρανθέν* mutavit cuius rei causam ignoro, nam *τὸ φανθέν* de re in lucem edita i. e palam facta optime intellegi potest. Accedit, quod apud Sophoclem verbum *κραίνειν* non nisi in praesente positum invenitur et plerumque habet vim dominandi sive regnandi duobus tantum locis exceptis ubi perficere significat. Usus autem verbi *φαίνειν* de rebus palam factis apud poetam multo latius patet. cf. Trach. 1 *λόγος — φανείς.*

O. R. 474. 525. *φανέν γε τοῦτος.* Ant. 457.

Denique monendum est Sophoclem omnino adamare verbum *φαίνειν,* quod innumeris fere locis occurrit, contra *κραίνω* septem tantum locis extat.

Iam reliquum est, ut ea exempla afferam ubi participia cum articulo in plurali numero posita universe de rebus dicuntur, cuius modi sunt:

Ant. 677 *ἀμυντέ' ἐστὶ τοῖς κοσμουμένοις.*

Erfurdtius cum Musgravio aliisque *τοῖς κοσμ.* genus neutrum esse putantes recte explicarunt »eis, quae decreta et edicta sunt.« Itaque satis bene Brunckhius sic haec vertit: »sic operam dare oportet ut servetur ordo et disciplina.«

Trach. 1269 *τὰ μὲν οὖν μέλλονθ' οὐδεὶς ἐφορᾷ.*

τὰ δὲ νῦν ἑστῶθ' οἰκτρὰ μὲν ἡμῖν.

Ai. 1419 *οὐδεὶς μάντις τῶν μελλόντων.*

cf. Ant. 1160. *καὶ μάντις οὐδεὶς τῶν καθεστώτων βροτοῖς. τῶν καθεστώτων* significat ea quae constituta sunt, itaque sensus loci hic est: de futuro eorum, quae nunc sunt, statu nemo coniciat.

Ant. 1334 *τῶν προκειμένων τι χρὴ πράσσειν.* De re praesente et qualem praesens necessitas iubet, dictum.

O. C. 115 *ἐν γὰρ τῷ μαθεῖν ἔνεστιν ἡὐλάβεια τῶν ποιουμένων.* Hoc dicit: caute et tute aget, qui rebus omnibus diligenter exploratis ad agendum accedet.

O. C. 1217 *τὰ τέρποντα δ'οὐκ ἂν ἴδοις ὅπου*, i. e. laeta vero vix videas.

Caput II.

Alius usus participii cum articulo coniuncti, qui est eius proprius ac peculiaris exemplis illustratur.

De generali significatione participii cum articulo substantive positi satis dictum est; restat ut alterum usum participii cum articulo coniuncti nonnullis exemplis illustremus. Hic enim eo differt a priore, quod participium cum articulo non genus quoddam rerum sive hominum significat, sed certam quandam rem vel personam effert et quidem ita, ut omnino eam ab aliis distinguens aut ad rem sive personam alio loco iam significatam nos deleget et tanquam notam nobis proponat; aut eam adhuc ignotam quasi novam in scenam producat atque de condicione eius sive statu quem teneat, certiores nos faciat.

In priorem classem ubi res sive personae, quas novimus vel etiam quae celebres sunt, significantur, haec refero exempla:

Phil. 904 *ἔξω τοῦ φυτεύσαντος* pater Neoptolemi Achilles clarissimus dicitur.

Trach. 1031 *τὸν φύσαντ' οἴκτειρ'* petit Hercules ex Hyllo filio ut se commiseretur.

O. R. 1019 *ὁ φύσας* i. e. Polybus qui in praegressis nominatur.

O. C. 427 *τὸν φύσαντ' ἐμὲ* Oedipus se ipse dicit.

Cfr. ibid. 448 *τὼ δ'ἀντὶ τοῦ φύσαντος* . . . . ubi Oedipus se filiis opponit, et

O. C. 1113 filias rogat, ut se amplectantur: *ἐμφύντε τῷ φύσαντι.*

Eadem ratione qua *φύσας* de patre, participium verbi *τίκτειν* cum articulo de matre usurpatur:

O. R. 985. *ἡ τεκοῦσα* i. e. Meropa. ibid. 1497. *τὴν τεκοῦσαν* sc. Iocastam. El. 470. *ἡ τεκοῦσα* i. e. Clytaemnestra. cfr. ibid. 613. 1411 quibus locis maior vis atque gravitas inest participio cum articulo substantive usurpato. —

El. 342 ubi participium praesentis occurrit: *τῆς δὲ τικτούσης μέλειν.*

Electra h. l. de Clytaemnestra matre loquitur indignum putans Chrysothemidem patris cuius filia sit, oblitam matris curam gerere.

Cfr. O. R. 1247. *τὴν δὲ τίκτουσαν* sc. Iocastam.

El. 534. sq. *οὐκ ἴσον καμὼν ἐμοί | λύπης, ὅ τ' ἔσπειρ' ὥσπερ ἡ τίκτουσ' ἐγώ.*

Hunc versum spurium iudicaverunt Morstadtius et Kolster, quos Schneidew. et Nauck secuti versum uncis incluserunt. Schneidewinus enim et in structura grammatica et in sensu huius loci valde offendit verba *λύπης ὅτ' ἔσπειρ'* inepta esse et *οὐκ ἴσον . . ὥσπερ* adversus leges grammaticas pugnare putans. Neque tamen cum his viris doctis consenserim, nam quod dixerunt verbis *οὐκ ἴσον — ὥσπερ . . .* abundantiam molestam inesse non probaverim, cum verba *ὥσπερ ἡ τίκτουσ' ἐγώ* non solum non supervacanea sint, sed potius propter *ὅτ' ἔσπειρ'* necessaria ad pronomen *ἐμοί* recte explicandum, cum, si deessent, notiones gignendi et pariendi non sibi opponerentur, sed falsa sententia existeret, quasi Clytaemnestra ex concipiendo dolorem cepisset[1]). Sensus autem, quem verba l. l. praebent hic est: quamquam non eundem dolorem sustinuit, quum gigneret, quam ego sustinui, quae mater sum. Quae sententia versum obiter tantum inspicienti absurda esse videri potest, qui tamen eum accuratius consideret, verba non inepte sed ironice vel *κατ' ἀντίφασιν* dicta esse censebit. Etenim Clytaemnestra cum forma dicendi negativa *οὐκ ἴσον . . .* utatur, nihil aliud dicere vult nisi hoc patrem cum gigneret, non solum non eundem dolorem quem matrem, sustinuisse, sed potius magnum ex procreando hausisse gaudium cum sibi ipsi partus magnos dolores attulerit. Inde Clytaemnestra efficit, ut ius quo ipsa ad filiam Iphigeniam pertineat, plus valeat quam patris Agamemnonis. Sententiam huic loco contrariam profert Electra v. 341[2]) indignum esse putans Chrysothemidem patris cuius filia nata sit, oblitam matris curam habere. — Quibus expositis versum 533 non e textu eiecerim, sed retinuerim, offensio autem quam locum primo aspicienti praebere non negaverim non tam ex re ipsa, quam ex honestate et sentiendi et dicendi verecundia, qua in eius modi rebus ad generationem et partum pertinentibus uti solemus, derivanda esse mihi videtur, attamen si ab nostra dicendi consuetudine recedamus atque loquendi rationem quae apud veteres Graecos valebat, nobis proponamus, verba laudata non reprehendemus, nam veteres de eiusmodi rebus aperte loqui non pudebant, quod magnus numerus locorum, ubi verba *σπείρειν τίκτειν ἀρόω* similia inveniuntur, satis ostendit.

---

[1]) G. C. W. Schneider: Sophocles Electra Griechisch mit deutschen Anmerkungen cfr. ad. v. 533.

[2]) Cfr. Schneidew. ad. h. l.

Cfr. O. R. 1497 *τὴν τεκοῦσαν ἤροσεν, ὅθεν περ αὐτὸς ἐσπάρη.* Trach. 33. El. 341. cfr. Aesch. Eum. 658, alios. —

Denique monendum est Clytaemnestram omnino ingenium satis rude ac ferum habere atque permagno furore de caede filiae ab Agamemnone patrata percitam loqui, unde facile fieri potuit, ut eiusmodi verba qualia extant. l. l. pronuntiaret. — Deinde huc refero:

Phil. 336 *εὐγενὴς μὲν ὁ κτανών τε χὠ θανών.*

Phoebus et Achilles dicuntur, quorum prior alterum interfecisse traditur. cfr. ibid. 331.

Ai. 635 *ὁ νοσῶν μάταν* scilicet Aiax. cfr. 625 *νοσοῦντα φρενομόρως.*

O. C. 296 *ὁ κραίνων.* i. e. Theseus. cfr. ib. 862. —

Ai. 726 *τοῦ μανέντος* sc. Aiacis. cf. Ai. 1378 *τὸν θανόντα τόνδε.* Ai. 315 *τοὐξειργασμένον* Tecmessá caedem pecudum dicit. O. R 313 *μίασμα τοῦ τεθνηκότος* i. e. Lai.

El. 1480 *ὧδ' οὐκ Ὀρέστης ἔσθ' ὁ προσφωνῶν ἐμέ.* — Trach. 709 *τὸν βαλόντ'* dicitur Hercules qui sagittis venenatis Nesso Centauro mortem attulit. — ibid. *τήν γε δράσασαν τάδε* ad Deianiram spectat, quae Herculi marito vestem illam pestiferam misit.

O. R. 401 *χὠ συνθεὶς τάδε.* Et qui haec molitus est i. e excogitavit scilicet Creon. cf. ib. 378. *Κρέοντος ἢ σοῦ ταῦτα τἀξηυρήματα.* Ant. 512 *χὠ κατατίον θανών* (Eteocles). O. C. 426, *οὐξεληλυθώς* i. e Polynices qui patria excessit itaque extra patriam domicilium habet, nam hoc indicat perfectum.

El. 355 *τῷ τεθνηκότι* sc. Agamemnoni.

El. 1214 *ἄτιμός εἰμι τοῦ τεθνηκότος,* loquitur Electra de Oreste cuius ossa, quin manu teneat, non dubitat.

Ai 1289 *ὁ δοῦλος, οὐκ τῆς βαρβάρου μητρὸς γεγώς* ex sententia Agamemnonis dictum cf, v. 1228 et 1263.

Phil. 778 *τῷ πρόσθ' ἐμοῦ κεκτημένῳ* pertinet ad pestiferum illum arcum Herculis O C. 1166 *ὁ προσθακῶν* cf. ib. 1157 et 60.

Phil. 1114 *τὸν τάδε μηχάμενον* scilicet Ulixem.

El. 126 *ὁ τάδε πορών* significat: qui haec paravit i. e. qui auctor huius caedis exstitit Aegistheus.

O. R. 139 *ἐκεῖνον ὁ κτανών* i. e. Lai occisor.

His igitur locis articulus cum participio significat rem sive hominem vel celebrem vel omnino talem, qui iam priore aliquo loco memoratus nobis notus est; iam

ad eos locos accedamus, ubi participium cum articulo rem sive personam nobis ignotam proponit ac maiore cum vi effert condicionem qua utatur indicans. Huc referam:

Ai. 516 *τὸν φύσαντα* i. e Tecmessae pater antea nondum memoratus.

Trach. 311 *τίς ἡ τεκοῦσα, τίς δ' ὁ φιτύσας πατήρ;* interrogat Deianira Licham de matre et patre Iolae.

Ai. 737 *βραδεῖαν . . . ὁ τήνδε τὴν ὁδὸν πέμπων . . ὁ πέμπων* dicitur Teucer qui nuntium ad Aiacem misit.

O. R. 1038 *ἄγγελος: ὁ δοὺς δὲ ταῦτ' ἐμοῦ λῷον φρονεῖ. ὁ δοὺς* est pastor, servus Lai, qui Oedipum infantem in Cithaerone expositum servavit ac nuntio Polybi tradidit. cf. O. R. 1039 et 40.

El. 357 *σὶ δ' ἡμῖν ἡ μισοῦσα* vituperat h. l. Electra Chrysothemidem sororem.

O. R. 297 *ἀλλ' οὐξελέγξων αὐτὸν ἔστιν,* dicitur vates Tiresias.

Ant. 262 *εἷς γάρ τις ἦν ἕκαστος οὐξειργασμένος. οὐξειργασμένος* auctor sceleris ab Antigona commissi, cuius custodes h. l. invicem se accusant. cf. ib. 384 ubi custos Antigonam ipsam accusat, quod facinus commiserit cum Polynicem sepelierit:

Πῶς ἔστ' ἐκεῖνη τοὐργον ἡ ἐξειργασμένη.

Sic saepius copula *εἶναι* cum articulo et participio coniungitur: O. R. 735 *τίς χρόνος τοῖσδ' ἐστὶν οὐξεληλυθώς,* quaerit Oedipus quantum temporis praeterlapsum sit, ex quo caedes Lai confecta sit.

O. R. 754 *τίς ἦν ποτε ὁ τοὐξδε λέξας τοὺς λόγους.*

O. C. 1117 *ὅδ' ἔσθ' ὁ σώσας* quod Antigona de Theseo dicit, qui se et sororem Ismenam Creonti eripuerat.

Ai. 522 *χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί.*

Ai. 1280 *οὐχ ὅδ' ἦν ὁ δρῶν τάδε.* Ant. 239 *ὅστις ἦν ὁ δρῶν.*

El. 197 *ἔρως ἦν ὁ φράσας, δόλος ὁ κτείνας.*

Sic recte emendarunt verba Nauckius et Schneidewinus isque eleganter vertit: Liebe gab den Anschlag ein, List vollstreckte den Mord; paulo post 199 *εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν ἦν ὁ ταῦτα πράσσων.* — Reliquos locos ubi copula cum articulo et participio coniungitur, invenias apud F. Ellendt Lexic. Sophocl. p. 209 ed II.

Videmus igitur usum participii cum articulo satis late patere neque mirandum,

nam hoc genus dicendi maxime convenit sermoni tragico, quod res quasi vividas spectantium oculis subicit et homines agentes producit et omnino totam eorum condicionem in qua versentur, definit atque illustrat, quod poeta si substantivis abstractis uteretur, minime efficeret.

Pars II.
De participii usu attributivo.

§ 4. De discrimine quod intercedit inter hunc usum participii et participium in appositione positum.

De usu participii cum articulo substantive dicti satis locutus sum, iam ad alterum huius opusculi caput progrediar, quod spectat ad participii usum attributivum quod genus dicendi, quamquam in initio disputatiunculae in universum adumbravi, tamen nunc accuratius pertractandum atque exemplis illustrandum erit.

Participii usus, qui latissime patet apud Graecos maxime is est, ut nominibus substantivis participium se adiungat eorumque notionem uberius describat ac determinet sive rei sive personae conditionem qualis sit indicans. Attamen in hoc genere loquendi duae diversae rationes discernendae sunt, quarum prior eo continetur, quod participium simili modo quo adiectivum nomini substantivo tam arcte adnectitur, ut temporis notione fere remota nullam vim praebeat nisi eam ut qualitates vel conditiones ut ita dicam permanentes, quibus res sive persona nomine substantivo expressa, utatur, significet. —

Altera huius usus ratio eo maxime cernitur, quod participium temporali vi plane servata nomini snbstantivo minus arcte coniunctum non ad id solum sed ad totum enuntiatum spectat et partem quandam eius spontaneam, si dicere licet, efficit, quod quidem ita fieri solet, ut participium aut nomini et verbo finito liberius adiungatur aut verbi notionem quae per se non intellegitur, suppleat itaque praedicati vicem gerat. Classen pag. 51 hunc usum participii »prädicativer Gebrauch«[1])

[1]) Discrimen quod inter participium attributive usurpatum et participium praedicati loco, ut Classen vult, vel ut Kruegerus et Curtius dicunt appositionis loco positum intersit Classen p. 52 bene ostendit exemplis ex Homeri Iliade allatis *Ξ*. 9 *ὠκὸς τετυγμένον* et *Φ*, 531 *πεπταμένας πύλας ἔχετε*.

appellat et iure quidem nam utraque ratione participium praedicati vim induit, attamen melius mihi videtur hoc nomen ad eum tantum usum referri, ubi participium verbi notionem supplens magnam enuntiati partem efficit, cui idiomati, quod latissime patet apud Graecos, certe non iniuria nomen proprium ac singulare tribuitur.

Alterum usum, ubi participium non qualitatem aliquam, quam cum attributive dicitur, indicat, sed conditionem quandam temporis notione retenta nomini substantivo tribuit, non habeo cur non cum viris doctis Kruegero et Curtio »der appositive Gebrauch« appellem.

De hoc autem usu, ubi participium vel in appositione positum est vel praedicati munere fungens verbi notionem supplet alio loco uberius agendum mihi erit, nunc iam usum participii attributive dicti pluribus exemplis illustrabo.

Praemonendum tamen mihi est imprimis participia praesentis et perfecti attributi loco usurpari, pauca tantum extare exempla, ubi participium aoristi hac significatione exornatum inveniatur; cuius rei causa facile inde explicatur, quod ut modo docui participia attributiva vi instructa id potissimum munus suscipiunt, ut qualitatem quandam vel condicionem sive rei sive personae nomine substantivo quocum arcte coniunguntur indicatae permanentem exprimant. Hoc autem munus, quod etiam ex natura temporum verbi elucet, legitime perficitur aut participiis praesentis eiusmodi verborum, quae durandi notionem exhibent aut participiis perfecti et passivi et activi generis, statum quendam effectum ac permanentem significantibus.

§ 5. Participia praesentis.

Trach. 405 *τὴν κρατοῦσαν Δηάνειραν*.
O. C. 261 *τὸν κακούμενον ξένον*, variis malis confectum.
ibid. 377 *ὁ πληθύων λόγος*, i. e. sermo frequens et multorum ore celebratus.
ibid. 930 *ὁ πληθύων χρόνος* i. e senectus sive annorum accrescens multitudo,
ibid. 73 *πρὸς ἀνδρὸς μὴ βλέποντος*, de oculorum caecitate.
Trach. 1248 *κληζόμενοι πατέρες* de deis dictum.
El. 781 *ὁ προστατῶν χρόνος*.
O. C. 1691 *ὁ μέλλων βίος*.

In participio *μέλλων* quod Nauckius uncis includit interpolatori deberi suspicans non offenderim, nam non solum de praesente sed maxime de futuro tempore calamitatis pleno Ismena cogitat cum haec dicit.

El. 1457 *τά τ'ὄντα καὶ μέλλοντα Πελοπιδῶν κακά.* O. C. 373 *χώ μὲν νεάζων καὶ χρόνῳ μείων γεγώς*, i. e. Etocles. Ant. 477 de equis *τοὺς θυμουμένους ἵππους.*

O. R. 1386 *εἰ τῆς ἀκουούσης ἔτ'ἦν πηγῆς δι' ὤτων φραγμός* de auditu obturando dictum.

Phil. 885 *ὡς οὐκέτ' ὄντος . . . . . πρὸς τὰς παρούσας ξυμφοράς . . .* nam ad has tuas calamitates (intuenti) signa manifesta apparebant te non esse h. e. qui ea quae dabas signa (tum quum iacebas) intueretur et simul quibus doloribus vexatus esses, reputaret, facile crederet te mortuum esse.

O. R. 971 *τὰ δ'οὖν παρόντα . .* (quae data erant) *θεσπίσματα.* ibd. 1477 *τὴν παροῦσαν τέρψιν*, i. e praesens voluptas; participium cum nomine substantivo in unam fere notionem coalescit.

C. Trach. 946 *τὴν παροῦσαν ἡμέραν.* El. 392 *βίου δὲ τοῦ παρόντος.*

El. 648 *πλούτου τοῦ παρόντος . . .* ibd. 1306 *τῷ παρόντι δαίμονι.*

Trach. 1169 *χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν.*

τῷ ζῶντι glossam esse ad *μοὶ* olim adscriptam Wunderus in Emendat p. 157 sq. planum fecit, pro qua quid restituendum sit incertum adhuc videtur. cf. El. 1293 *τῷ παρόντι νῦν χρόνῳ.* cf. Trach. 173.

Phil. 800 *τῷ Λημνίῳ τῷδ' ἀνακαλουμένῳ πυρί.*

Recte vidit Erfurdtius *ἀνακαλουμένῳ πυρί* quod nonnullis viris doctis offensionis ansam praebuit, ita dictum esse ut 796 *θάνατος ἀεὶ καλούμενος* dictum sit. — Nam *ἀνακαλεῖσθαι* est iterum atque iterum vocari. Itaque hoc dicit Philoctetes: comprehensum combure hoc multum invocato Lemnio igni. cf. Hermannum ad h. l.

Phil. 643 *πνεῦμ' ἐναντιούμενον* i. e. ein widriger Wind. — ibid. 864 *πόνος ὁ μὴ φοβῶν* h. e. labor non cum timore coniunctus optimus est.

Neque tamen semper sufficit participium verbi simplicis ad qualitatem vel condicionem in attributo positam significandam, sed saepius apud Sophoclem adduntur adverbia vel nomina quibus qualitas illa vel conditio accuratius definiatur atque constituatur. Huc potissimum pertinent verba cum accusativo obiecti constructa velut *ἔχειν* si habendi et possedendi notionem praebet. cfr. Phil. 1057 *Τεῦκρος παρ' ἡμῖν τήνδ' ἐπιστήμην ἔχων.*

El. 703 *κἀκεῖνος . . . Θεσσαλὰς ἔχων ἵππους.*

El. 180, ubi *ἔχειν* locali significatione dicitur: *ὁ τὰν Κρῖσαν βούνομον ἔχων ἀκτὰν παῖς Ἀγαμεμνονίδας.* Significatur his verbis Orestes, qui Crisae commoratur apud Strophium.

Praeterea huc refero: Ant. 184 *Ζεὺς ὁ πάνθ' ὁρῶν ἀεί.*

cfr. O. R. 1213 *ὁ πάνθ' ὁρῶν χρόνος.*

O. C. 42. *τὰς πάνθ' ὁρώσας Εὐμενίδας.* De qua sententia confer Ai. 835: *καλῶ δ'ἀρσενοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους ἀεί θ' ὁρώσας πάντα τἀν βροτοῖς πάθη.*

Participium sine accusativo sed cum adverbio coniunctum legimus: de Iovis oculo: O. C. 704. *ὁ γὰρ εἰς αἰὲν ὁρῶν κύκλος λεύσσει νιν μορίου Διός*, attamen ibid. 869 *ὁ πάντα λεύσσων Ἥλιος.*

O. R. 1417 *τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα . . . Ἡλίου.*

Trach. 127 *ὁ πάντα κραίνων βασιλεὺς . . . Κρονίδας*, sensus totius loci is est: ne is quidem cuius summa est potestas, Juppiter, ut nullis doloribus mortales laborent perficere potest, scilicet fatis obstantibus.

Participium *κρατῶν* c. gen. Phil. 989. *Ζεὺς ὁ τῆσδε γῆς κρατῶν* cfr. O. R. 14 *ὦ κρατύνων Οἰδίπους.*

O. C. 914 rursus accusativum habemus et notionem adverbialem *ἄνευ νόμου* additam ad participum.

ὅστις δίκαι' ἀσκοῦσαν εἰσελθὼν πόλιν
κἄνευ νόμου κραίνουσαν οὐδέν,

Ant 1146 Dionysus dicitur: *ἰὼ πῦρ πνεόντων χοράγ' ἄστρων.*

Ai. 845 sq. *ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν Ἥλιε.*

Phil. 607 *ὁ πάντ' ἀκούων ἀσχρὰ καὶ λωβᾶτ' ἔπη δόλιος Ὀδυσσεύς.*

O. R. 200 *ὦ πυρφόρων ἀστραπᾶν κράτη νέμων ὦ Ζεῦ πάτερ*, quem locum iam supra pag. 4 tractavimus

Ant. 1122 *ὦ Βακχεῦ ματρόπολιν Θήβαν ναιετῶν.*

O. C. 1767 *χώ πάντ' ἄϊστον Διὸς Ὅρκος.*

Est is Iovis minister et secundum Hesiodum quidem in Theogonia 804 Eridis filius, *ὅρκον — τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.*

Ut accusativus ita etiam dativus nominis substantivi attributivam participii vim accuratius interdum definit velut:

O. C. 1313 *δορυσσοῖς Ἀμφιάρεως τὰ πρῶτα μὲν δόρει κρατύνων πρῶτα δ' οἰωνῶν ὁδοῖς*, quod recte explicat Reisig: princeps bello atque augurandi arte.

El. 490 *ἃ δεινοῖς κρυπτομένα λόχοις χαλκόπους Ἐρινύς.*

Praepositio cum genetivo invenitur participio adiuncta:

Phil. 1013 *ἡ κακὴ σὴ* (Ulixis) *διὰ μυχῶν βλέπουσ' ἀεὶ ψυχή* ex latebris sive insidiis speculans ut fera, quae delitescens praedae suae insidiatur.

Sine praepositione dicitur Genetivus O. C. 107 *ὦ μεγίστης Παλλάδος καλού-*

μεναι πασῶν Ἀθῆναι . . . Participium cum genetivo eadem ratione coniunctum est qua v. 65 huius fab. *τοῦδε τοῦ θεοῦ γ' ἐπώνυμοι* dictum. cfr. Eur. Ion. 8. —

Cfr. Trach. 540 sq. *Ἡρακλῆς ὁ πιστὸς ἡμῖν κἀγαθὸς καλούμενος.*

Denique huc refero El. 183 *ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων*, ubi *παρά* c. acc. *Ἀχέροντα* regionem significat ad quam pertinet imperium quod tenet Pluto.

Ant. 965 simplex adverbium localem significationem participio adiungit, *τοὺς ἄνω κλάζοντας ὄρνεις.* —

Adverbialiter etiam dictum et ad rationem et ad tempus agendi spectans, quod legitur O. C. 517 *τό τοι πολὺ καὶ μηδαμὰ λῆγον χρῄζω . . . ὀρθὸν ἄκουσμ' ἀκοῦσαι*[1])

§ 6. Participia perfecti.

A praesentis participiis transeamus ad participia perfecti, quae aeque atque illa conditionem quandam permanentem vel rei vel hominis significant eo tamen ab illis discrepant, quod non ut participia praesentis actionem demum se explicantem eamque ob causam durantem sed potius statum inde effectum ac permanentem indicant. Ac primum quidem participia perfecti passivi generis afferenda mihi erunt, nam ea attributivo usui optime conveniunt, quod significatio illa status cuiusdam permanentis eis maxime propria est, cuius rei causa inde petenda est, quod id quod factum esse videmus non irritum fieri sed permanere solet. —

Apud Sophoclem hic usus non satis frequens est, nonnulla tamen exempla inveni quae h. l. proferam.

Passivi generis haec sunt:

O. C. 1590 sq. *τὸν καταῤῥάκτην ὁδὸν χαλκοῖς βάθροισι γῆθεν ἐῤῥιζωμένον* praecipitem et abruptum significat locum gradibus aeneis substructum sive fundatum, qua descensus ad inferos patere credebatur.

O. R. 1398 *κεκρυμμένη νάπη* (saltus) omnino de solitarii loci recessu dictum.

O. C. 621 *κεκρυμμένος νέκυς* i. e. Oedipi corpus sepulcro abditum.

El. 638 *κεκρυμμένην μου βάξιν*, recte a Musgravio et Wundero monitum *κεκρ. βάξιν.* non de submissa voce sed de ambiguitate et obscuritate verborum intellegi debere. Mox enim dicit Clytaemnestra sibi non expedire *πᾶν ἀναπτύξαι.* i. e. totam rem ut accidit, enarrare.

O. C. 421 *τὴν πεπρωμένην* (sorte vel fato constitutam) *ἕριν.*

Ant. 1337 *πεπρωμένης συμφορᾶς.*

[1]) Cfr. Wunder: »quae late dissipata est neque desinit dissipari auditionem audire recte cupio.« —

El. 709 *οἱ τεταγμένοι βραβῆς* sunt iudices certamini et instruendo et diiudicando praepositi atque constituti.

cf. ibid. 759 *ἄνδρες Φωκέων τεταγμένοι.*

El. 452 *ζώμα τοὐμὸν οὐ χλιδᾷ ἠσκημένον.*

El. 283 *πατρὸς τὴν δυστάλαιναν δαΐ' ἐπονομασμένην.*

Schol. recte explicat *δαΐ' ἐπων. ἐπωνυμίαν τοῦ πατρὸς ἔχουσαν ὁᾶτα τὴν δηλαδὴ Ἀγαμεμνόνειον λεγομένην.*

Ai. 584 *γλῶσσα σον τεθῃγμένη.*

O. C. 1187 *τά τοι κακῶς εὑρημέν' ἔργα τῷ λόγῳ μηνύεται* consilia male excogitata sermone indicantur. Participium *εὑρημέν'* adverbio *κακῶς* accuratius definitur ac determinatur.

Trach. 1105 *ὁ τῆς ἀρίστης μητρὸς ὠνομασμένος*
ὁ τοῦ κατ' ἄστρα Ζηνὸς αὐδηθεὶς γόνος.

H. l. participium perfecti et aoristi simili sensu posita videmus, utrumque enim nomen significat, quod Hercules gerit, prius ad nomen a matre, alterum ad nomen a Iove ductum pertinet, attamen eo differunt participia, quod *ὠνομασμένος* per se ipsum nomen indicat Herculi in omne tempus datum, participium aoristi *αὐδηθείς* exprimit nomen filii Iovis ei aliquando tributum, inde nos facile concludimus hoc nomen eius semper proprium fuisse.

Trach. 1213 *πυρᾶς . . . τῆς εἰρημένης.*

El. 1181 *ὦ σῶμ' ἀτίμως καθέως ἠφανισμένον.*

Orestes h. l. miserrimo Electrae habitu perculsus obstupefactusque dolore deformem eius speciem deplorat.

O. R. 248 *γῆς ὦδ' ἀκάρπως καθέως ἠφανισμένης. φθείρειν* deflexum est ad terram pestilentia et sterilitate pessumdatam. *ἀθέως* . . . dicitur, quia Oedipi quamvis occulto facinore deorum praesidio Thebani ademto omni malorum genere vexabantur. Pro „καθέως" est qui legendum esse censuerit „κατέκνως" quod etiamsi sensum satis bonum efficit tamen non probabile mihi videtur, primum quod nullo loco apud Sophoclem haec vox invenitur, deinde quod lectio tradita satis defendi mihi videtur El. 1118, ubi idem vocabulum eadem ratione cum *ἠφανισμένος* coniunctum occurrit et ibid. 123 *ἀθεώτατα*, tum denique quod librorum scriptura, ut modo ostendimus, per se bene intellegi potest, ut mutatione non opus sit.

El. 1485 *βροτῶν. . . οὐκ κακοῖς μεμιγμένον* quem locum iam supra tractavimus pag. 15.

El. 1298 *ἐπ' ἄτῃ τῇ μάτην λελεγμένῃ* cur Nauck *λελεγμένῃ* in *δεδειγμένῃ* mutaverit, causam non video.

Hactenus de participiis perfecti passivi generis, procedamus iam ad participia perfecti activi generis quae attributi vim sibi adsciscunt.

Magna eorum pars ad verba intransitiva pertinet:

Ant. 1113 *τοὺς καθεστῶτας νόμους* sunt leges ad observandum hominibus publice constitutae quocum conferendum ibid. 482 *νόμους τοὺς προκειμένους.*

Trach. 1170 *μόχθων τῶν ἐφεστώτων* de malis Herculi impendentibus dictum.

Phil. 734 *τῆς παρεστώσης νόσου* morbus, quo Philoctetes cruciatur praesente, significatur.

O. R. 633 *τὸ νῦν παρεστὸς νεῖκος* de controversia nunc ipsum orta.

O. C. 1033 *τόλμης τῆς παρεστώσης τὰ νῦν* adverbio *νῦν* notio praesentis status quae subest perfecto, maxime urgetur atque ante oculos ponitur.

Phil. 1340 *τοῦ παρεστῶτος θέρους.*

O. C. 1316 *Ἐτεόκλους Ἀργεῖος γεγώς.* Ant. 1018 *τοῦ — πεπτῶτος Οἰδίπου γόνου* de Polynice mortuo dictum cfr. ibid. 697. Restat, ut duo exempla afferam, ubi *εἰδώς* transitiva vi praeditum attributi vices tuetur: O. R. 397 *ὁ μηδὲν εἰδὼς Οἰδίπους.*

Ibid. 499 sq. *ὁ μὲν οὖν Ζεὺς ὅτ' Ἀπόλλων ξυνετὸὶ καὶ τὰ βροτῶν εἰδότες.*

§ 7. Participia aoristi.

Minus frequens quam participii perfecti et praesentis est usus participii aoristi attributive dicti, quod non mirandum, si respiciamus naturam aoristi, quam grammatici eam esse statuunt ut nihil nisi actionem ipsam semel factam indicet, nulla ratione habita condicionis cuiusdam permanentis, in qua verseris, vel qualitatis, quae alicui attribuatur.

Nonnulla tamen exempla participiorum aoristi apud Sophoclem occurrunt, quae usui attributivo inserviunt, quorum in numerum ea potissimum referenda sunt, quae factum esse aliquid indicant, quod in tempus futurum permanere vel in statum quendam transire aut per se intellegitur aut ex actione, quae significatur, facile colligitur ac perspicitur. Huc pertinent: O. R. 245 *τῷ τ' ἀνδρὶ τῷ θανόντι.*

Participium *θανών* proprie spectat ad id momentum temporis quo quis vita decessit, inde facile concludimus quid inde (ex moriendo) sequatur: virum illum omnino mortui condicione uti eiusque naturam sibi vindicare; respicitur tamen semper ad primariam aoristi vim modo expositam velut El. 1212 *πῶς τὸν θανόντ' ἀδελφὸν οὐ δίκη στένω;*

ubi Electra non tam de statu mortui fratris quam de ipsa eius caede vel interitu cogitat, contra non nisi ad mortui conditionem respicit, cum dicit ibid. 1214 *ἄτιμός εἰμι τοῦ τεθνηκότος.* cfr. Ant. 515 *ὁ κατθανὼν νέκυς.*

Ai. 1296 *ὁ φιτύσας πατήρ*[1]) Participium sententiae aliquid ponderis addit atque spectat ad ipsam gignendi actionem, verti autem potest: ipse pater, ut Eur. Iph. A. 1177 *ἀπώλεσέν σ' ὁ φιτύσας πατήρ.* Iph. T. 360. *ἱερεὺς ἦν ὁ φιτύσας πατήρ.* Sed interdum pluribus verbis non plus significari videtur quam uno: Trach. 311. *ὁ φιτύσας πατήρ* scilicet Iolae.

O. R. 1514 *τοῦ φυτεύσαντος πατρός.* ibid. 793 idem extat.

El. 1412 *ὁ γεννήσας πατήρ,* ubi participium maiore cum vi dictum:

O. C. 375 *τὸν πρόσθε γεννηθέντα Πολυνείκη,* notatus hic locus litterax a grammaticis, quod Sophocles Polynicem maiorem natu dixit, minorem autem Eteoclem.

πρόσθε γεννηθέντα opponitur priori *μείων γεγώς,* unde iam elucet participium perfecti et aoristi h. l. similem accipere vim, etiamsi primaria aoristi significatio semper pellucet, quae ea est, ut actionem incidentem exprimat, de qua postea accuratius agendum erit. Omnibus igitur his locis attributiva vis participii aoristi facile ex notione verbi unde aoristus formatus est, erui ac derivari potest, maxime autem articulus participio additus vim illam ita definit, ut nos ad res aliquando semel factas, quas iam novimus, releget, quod praecipue in aoristi naturam quadrare nemo non videt.[2]) Huc refero imprimis praeter locos iam supra commemoratos. O. R. 278 *τὸ δὲ ζήτημα τοῦ πέμψαντος ἦν Φοίβου.* ib. 149. *Φοῖβος δ' ὁ πέμψας τάσδε μαντείας.*

El. 1 *τοῦ στρατηγήσαντος . . . . Ἀγαμέμνονος* ib. 694 *Ὀρέστης τοῦ τὸ κλεινὸν Ἑλλάδος Ἀγαμέμνονος στράτευμ' ἀγείραντός ποτε.*

Trach 185 *Διός . . . τοῦ με φύσαντος.*

[1]) Cf. Lobeck. Soph. Ai. v. 1296. p. 468. —

[2]) Ab Homero hic usus part. aor. c. articulo alienus est, quod articuli syntaxis omnino nondum ita apud eum stabilita eiusque usus excultus est atque posteriore aetate.

Pars III.

De Participio in appositione posito atque imprimis de relatione temporali quae intercedit inter verba finita ac participia.

Multo frequentior quam usus participii attributi vi praediti est is usus, quem cum Kruegero et Curtio »den appositiven Gebrauch des Participiums« appellavi, qui quomodo a priore differat in universum iam exposui dicens participium in appositione positum non solum ad nomen cui adiungitur, sed ad totum enuntiatum pertinere atque tanquam spontaneam eius partem efficere. Praeterea hoc discrimen interest, quod alterum participium attributi vel adiectivi significatione instructum plerumque inter articulum et substantivum locum habet aut cum articulo substantivo postponitur, alterum participium in appositione collocatum semper sine articulo substantivum vel pronomen aut antecedit aut sequitur. Neque ulla orationis pars extat, quae ad actiones et sententias vivide exprimendas plus valeat quam participium huius generis quod quamquam, ut eius natura fert, nullam sententiam ad finem perducere potest, tamen hoc potissimum munus gerit, quod sententias, quomodo se explicent, diversum in modum constituit et actiones, quomodo conficiantur, definit. Etenim diversa est ratio quae inter verbum finitum et participium intercedit: aut temporalis est ubi tempus, quo actio principalis verbo finito expressa fiat, respicitur aut causalis ubi participium causam continet, qua quis motus actionem illam primariam suscipiat aut instrumentalis vel modalis, ubi viam ac rationem qua illa perficiatur, exprimit aut omnino rem secundariam vel rem cum actione principali coniunctam significat. Neque tamen in animo habeo totum hunc usum participii pertractare ac perlustrare, ne ambitus huius opusculi nimis magnus fiat, sed id maxime studeo ut relationem temporalem, quae inter verbum finitum et participium imprimis aoristi, cuius usus a viris doctis nondum ex omni parte explicatus est, intercedat, exponam atque illis tantum locis, ubi opus videatur, vim etiam participii vel modalem vel causalem vel instrumentalem, quam ad verbum sententiae primarium habeat, ostendam.

Caput I.

De participii praesentis usu.

Ac primum quidem de participii praesentis usu apud Sophoclem dicendum mihi erit, qui quoniam satis tritus examinatusque est et Sophocles in eius usu a ceterorum Graecorum scriptorum consuetudine loquendi non multum discrepat, eos solum locos afferam ubi participium praesentis proprietatem quandam sermonis praebet.

§ 8. Participii praesentis significatio accuratius explicatur.

Quum constet praesens significare actionem verbi quae eo tempore quo loquimur usu veniat atque ante oculos nostros se explicet, participium, id quod ex notione eius ac natura perspicitur, praesentis condicionem significat, quae temporis aequalitate actionis verbi finiti et actionis, quae inest participio, efficitur. Hinc apparet participium praesentis cum omnibus verbi finiti temporibus coniungi posse, modo actio verbi permaneat, actione verbi finiti incidente.

Hoc fere modo Romahn[1] praesentis et participii praesentis significationem atque usum interpretatur et in universum quidem recte interpretatus est neque tamen omni ex parte perfecta et accurata est haec explicatio. Nam actio vel condicio participio praesentis subiecta non solum, ut vir ille doctus statuere videtur, ad id tempus, quo actio principalis verbo finito expressa incidit pertinet, sed etiam ante hoc tempus iam extare aut post primariam illam actionem durare potest. Priori generi haec exempla adscribo:

Phil. 182 *πάντα δὲ σκοπῶν*[2]) *εὕρισκον* actio verbo finito *εὕρισκον* significata in idem tempus incidit, quo condicio circumspicientis participio *σκοπῶν* indicata oculis subicitur, neque tamen haec condicio eo tantum temporis momento, ubi actio illa primaria fit, extat, sed eam iam ante illam per aliquod temporis spatium extitisse quis est qui neget, si logicam rationem sequatur. cfr. O. R. 286 *σκοπῶν — — — ἐκμάθοι.* ib. 68 *σκοπῶν εὕρισκον ἴασιν μόνην.* Ai 1054 *ἐξεύρομεν ζητοῦντες.* cfr. O. R. 260. O. C. 252 *ἴδοις ἂν ἀθρῶν.*

Participia aoristi his locis stare non possunt, cum actiones, quae significantur non uno tantum temporis momento, quod aoristus si locum haberet indicaret, conficiantur, sed per maius temporis spatium durent ac repeti videantur, quod etiam ex

[1]) Romahn, de relat. temporali etc. pag. 11.

[2]) Est hoc quod grammatici dicunt participium imperfecti cfr. O. R. 68, similia.

notionibus verborum unde participia formata sunt, apparet ut quisque qui verba illa nspiciat facile concedet. cfr. O. C. 99. *ἀντέκυρσ' ὁδοιπορῶν.*

O. C. 72 *ὡς ἂν προσαρκῶν σμικρὰ κερδάνῃ μέγα* qui locus paulo aliter explicandus est. Sermo est de Theseo, quem Oedipus, si sibi opitulatus sit et hospitium praebuerit magnum lucrum facturum esse dicit. Ex logica ratione pro praesente participium aoristi exspectatur, cum actio significetur verbo *προσαρκῶν*, quae actioni verbi finiti *κερδάνῃ*, praecedit, attamen praesens adhibetur, quod qui loquitur Oedipus ad rem tanquam praesentem, quam statim fieri cupit, spectat.

Alius locus ubi participium praesentis de re praeterita positum est, quod praesentis temporis status ratio habetur extat: O. R. 1350 *ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου ἔρρυτο . . οὐδὲν εἰς χάριν πράσσων.* Oedipus h. l. servo Lai, qui eum compedibus solverat ac morti eripuerat, perniciem imprecatur atque, cum temporibus praeteritis *ἔλαβε* etc. participium praesentis *πράσσων* . . . adiungat, non nisi ad praesentem miserum statum quem obtinet, respicit, qui maxime inde profectus est, quod servus ille eum mortis periculo liberaverat. cfr. O. C. 1287 *ἀνέστησεν . . . διδοὺς . . . λέξαι* O. R. 1381 *ἐννέπων.*

Participia praesentis verborum *ἀκούειν* et *κλύειν* de rebus praeteritis usupari satis notum est pervolgatiusque quam ut opus sit hanc rem pluribus exemplis probare. Hoc tantum monuerim haec verba non solum ad tempus praeteritum, sed etiam ad praesentis temporis condicionem spectare vel certe ad ea quae ex actione quam significant, consequuntur. Itaque qui *ἀκούων* vel *κλύων* dicitur is est, qui rem aliquam audivit vel comperit atque nunc compertam habet et in memoria tenet.

cfr. O. R. 105 *ἔξωθ' ἀκούων* loquitur Oedipus de Lai regis imperio. —

ibid. 295 *ἀκούων οὐ μενεῖ ταιάδ' ἀράς,* ubi *ἀκούων* praeteritam habet signicationem.

Cfr. O. C. 290. 551. 33. Eadem ratione *κλύων* usurpatur: O. C. 41. *εὐξάμην κλύων* i. e quarum sancto audito nomine invocabo illas.

cf. ib. 54. *πάντ ἐπιστήσει κλύων,* quod civis Colonus dicit Oedipo de regione in qua versetur interroganti. cf. ib. 307. 412. Ant. 632. 998. 1182. Similiter etiam alia participia praesentis verborum sentiendi de re praeterita dicuntur, quod non solum ad tempus praeteritum, sed etiam ad praesentem rerum conditionem in qua qui loquitur versatur, pertinent velut O. C. 939 sq. *ἐγὼ οὔτ' ἄνανδρον τήνδε τὴν πόλιν νέμων . . . . τοὔργον τόδ' ἐξέπραξα. νέμων* dicit Creon cum eo ipso temporis puncto, quo loquitur de urbe Athenarum idem sentiat atque antea, ubi filias Oedipi abduxit. Simili ratione dicitur ib. 950 *ᾧ πίστιν ἴσχων τήνδ' ἐχειρούμην ἄγραν*

cf. O. R. 6. *δικαῶν . . . ἐλήλυθα.* Participium praesentis *δικαῶν* positum est,

quod animi sententia, quam significat, etiam praesenti tempore actione verbi finiti peracta, permanet atque valet. cf. ibid. 1241 sq. O. C. 1000, ubi Oedipus Creontem hoc modo increpat. *ἅπαν καλὸν λέγειν νομίζων . . . ταῦτ' ὀνειδίζεις με.* Participium praesentis *νομίζων* inprimis certe ad verbum principale *ὀνειδίζεις* et ad praesentem rerum conditionem qua Creon et Oedipus h. l. utuntur referendum est, neque tamen ad hoc solum tempus, sed ad omne tempus vitae pertinet. cum Oedipus, cum verba laudata faciat, ad totum ingenium atque morem Creontis respiciat. Haec exempla sufficiant ad significationem participii praesentis demonstrandam et ad eum usum probandum, ubi participium praesentis non solum ad id tempus ubi actio verbi finiti incidit, pertinet sed conditio quam significat per maius temporis spatium durat sive tempus quod actionem illam primariam antecedat sive quod eam sequatur, respiciamus. In ceteris unum vel alterum locum laudabimus ubi eadem vis in participio praesentis facile cernitur. Ex hoc usu ac significatione apparet participium praesentis non ut aoristi de narrationis progressu ut ita dicam i. e de re quae narratur procedente, ubi vel singula momenta unius actionis quae incidunt, oculis subiciuntur vel alia actio aliam excipit, usurpari, sed eo potissimum munere fungi quod omnino res cum actione principali coniunctas accuratius describit atque uberius explicat.

---

§ 9. Participium praesentis verbo finito adicitur vel explicationis causa vel ad rem cum actione verbi finiti coniunctam significandam vel omnino ad actionem principalem describendam.

Huc pertinet si actio primaria verbo finito generaliter tantum indicata participio praesentis accuratius definitur atque id quo contineatur, significatur, velut Phil. 904 *ἀλλ' οὐδὲν ἔξω τοῦ φυτεύσαντος σύ γε δρᾷς, οὐδὲ φωνεῖς, ἐσθλὸν ἄνδρ' ἐπισφελῶν.* cf. Ai. 725 *ἥμισυν . . . . τὸν τοῦ μανέντος . . . . ξύναμον ἀποκαλοῦντες,* participium et quae ex eo pendent accuratioris explicationis causa praecedenti verbo finito *ἥμισυν* adiuncta sunt.

cf. Trach. 28 *φόβον τρέφω κεῖνον προκηρύσσοντα*

Ant. 744 *ἁμαρτάνω τὰς ἐμὰς ἀρχὰς σέβων.*

ibid. 227 *ἡδὺ πολλά μοι μυθουμένῃ.* et 333 *χωρεῖ περῶν.* Deinde confer. Ai. 757 *ἔφη λέγων.* Phil. 55. 1235 *κερτομῶν λέγεις.*

O. C. 989 *οὓς . . . ἐμφορεῖς σύ μοι φόνους. . . ἐξωνειδίζων* similia.

Non minus frequens est is usus, quo participium praesentis significat omnino agendi rationem quam quis sequatur atque exprimit res secundarias, quae cum actione principali coniunctae sunt eamque quasi comitantur. cf. O. C. 1647 *στέροντες ὁμαρτοῦμεν* cf. O. C. 1251. O. R. 456.

Ant. 136 *βακχεύων ἐπέπνευ* de Capaneo adversus Thebas pugnante dictum ibique 139 de impetu belli *ἐπενώμα στυφελίζων μέγας Ἄρης*, participium *στυφελίζων* frequentativa vi, ut saepius praesens occurrit, ornatum esse videtur, quam significationem participii praesentis ex primaria eius vi facile derivari posse nemo non intellegit. cfr. Ai. 725 quem locum modo attulimus et Trach 10, ubi sermo est de Acheloo Deianirae proco: *ἐξήτει πατρός, φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος.* O. R. 1255 *φοιτᾷ γάρ, ἡμᾶς ἔγχος ἐξαιτῶν πορεῖν.* Phil. 495 *πολλὰ . . . ἔστελλον αὐτὸν ἱκεσίους πέμπων λιτάς* ubi cum seutentia ipsa tum vox *πολλά* frequentativam vim participii *πέμπων* indicat cf. O. C. 347 *πλανωμένῃ.*

Praeterea omnino actionibus describendis inserviunt participia praesentis: El. 1384 *προνέμεται . . . αἷμα φυσῶν Ἄρης*, quem locum Wunderus recte sic vertit: „Videte quomodo Mars infestissimam sive ineluctabilem caedem spirans i. e caedi intentus progrediatur."

Ant. 528 [1]) *νεφέλη . . . ἐέθος αἰσχύνει τέγγουσ'.* —

Ant. 754 Creon ad Haemonem: *κἀπαπειλῶν ὧδ' ἐπεξέρχει . . .* et 756 *κλαίων φρενώσεις* cfr. ib. 759.

Ut singulae quaeque actiones, ita etiam totius vitae consuetudo atque mores, quibus homines uti solent, participiis praesentis depinguntur.

Cfr. Ant. 333 sq, ubi chorus incredibilem hominum sollertiam et audaciam canit et exemplis nonnullis illustrat. Ac primum quidem exemplum ab eis depromit, qui fluctus procellis agitatos non metuentes mare navi traiciunt: *πολιοῦ πέραν πόντου . . . . χορεῖ περιβρυχίοισιν περῶν ὑπ' οἰδμασιν.* Deinde loquitur de agricola, qui terram *θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν Γᾶν . . . ἀποτρύεται . . . . . πολείων . . .* aratro proscindit.

Cfr. O. C. 130 sq.[2]) *παραμειβόμεσθ' . . . εὐφήμου στόμα φροντίδος ἴέντες*, sermo est de ratione qua cives Eumenidas colere et adorare soleant, cui repugnat Oedipus, qui nullo affectus timore lucum illarum dearum intrat,

Cfr. O. C. 340 ubi fratres Antigonae et Ismenae moribus Aegyptiorum similes dicuntur: *θεσμοῦσιν ἱστουργοῦντες.*

[1]) Cfr. Schneidewini elegantem huius versus versionem.

[2]) C. Schneidew. ad h. l.

Ibid. 347 misera vitae conditio, que Antigona cum patre Oedipo utitur copiosius describitur. Similem in modum calamitas in qua Philoctetes versatur nobis ante oculos ponitur. Phil. 287. et 291 ubi de incerto et difficili claudicantis Philoctetae incessu dici tur: *πρὸς δὲ τοῦτο εἰλυόμην δύστηνον ἐξέλκουσαν πόδα.* De eodem illo chorus 701 *εἶρπε τότ' ἂν εἰλυόμενος παῖς* [1]) quibus locis participia *ἐξέλκων* et *εἰλυόμενος* notionem repetendi vel iterandi prae se ferre et ex imperfectis et ex toto sententiarum conexu apparet.

Eadem significatio conspicitur Phil. 714.[2]) *λεύσσων . . . . ἀεὶ προσεινόμα. λεύσσων* magis de petenda aqua, ut Schneidew. recte explicavit, quam de intuenda cum desiderio, quod falso proposuit Wunderus, interpretor. Nam Philoctetam omnibus fere rebus ad vivendum necessariis destitutum non tam ex intuenda quam ex potanda aqua gaudium sibi comparasse certe credendum est idque poetam significare voluisse ex toto loco patet, ubi non de voluptate ex aqua intuenda capta, sed de ipso cibo (706 *φορβάν* et 711) ac potu (714 *σὺν ὀχέτου πώματος*) sermonem esse, quivis qui verba simpliciter interpretetur, libenter concedet.

Phil. 1105 sq. Philoctetes, postquam Ulixes cum Neoptolemo discessit, de summa calamitate, in quam Ulixis fraude coniectus sit conqueritur copiosiusque describit miserum modum, quo nunc iam sibi arcu spoliato mors obeunda sit. *τέλας ναίων ἐνθάδ' ὀλοῦμα . . . . οὐ φορβὰν ἔτι προσφέρων οὐ πτανῶν ἀπ' ἐμῶν ὅπλων κραταιᾶς μετὰ χερὸν ἴσχων.* Haec est vulgata librorum scriptura quam si servaremus inter cibum quem Philoctetes in antrum ferre solebat et cibum quem sagittis sibi comparabat, inepte distingueretur; qua de causa verba codicibus tradita mutanda esse mihi videntur cum Hartungio, qui hanc coniecturam proposuit *οὐ φορβὰν ἔτι προσφέρων, οὐ πτανῶν ὅπλ' ἐμῶν τόξον κραταιᾶς μετὰ χερὸν ἴσχων* »keine Nahrung zu Hause mehr schaffend, nicht des beschwingten Pfeils Waff' in kräftigen Händen haltend«. Qua in scriptura licet pauca reprehendi possint, tamen ceteris sine controversia facilior et simplicior est.

O. C. 670 sq. Sophocles collem Colonum summis effert laudibus, ibi enim natus erat atque imprimis laudat magnum numerum lusciniarum quarum cantu totus locus personare dicitur, verba enim sunt *ἃ λίγεια μινύρεται θαμίζουσα . . . τὸν οἰνῶπα νέμουσα*

[1]) Ad. h. l. cf. Wunder de sensu: solebat enim tum, quum crudelis morbi lues remittebat serpens . . . . . alias alium locum obire.

[2]) Cfr. Schneidewini interpretationem, quam ego probo.

κισσών. Deinde transit ad Bacchum, quem hoc in loco cum nymphis nutricibus versari tradit.

Loci, quos adhuc attuli, satis illustrare mihi videntur id genus dicendi, ubi participium praesentis actionem primariam vel accuratius describit vel omnino res cum illa coniunctas significat. Qua de causa non opus est ad hunc usum probandum plura colligere exempla, nam quisque qui paululum in Graeca lingua versatus est, hoc genus loquendi satis cognitum habet.

---

§ 10. Participia praesentis cum participiis aoristi in narrationibus coniuncta.

Reliquum est, ut paucos locos, ubi participium praesentis cum participio aoristi[1]) coniunctum in rebus gestis enarrandis usurpatur, in medium proferens discrimen quod inter haec duo participia intersit patefaciam. Differunt enim inter se participium praesentis et participium aoristi potissimum in hac re, quod alterum, ut exemplis supra exscriptis iam docui, conditionem, sub qua actio principalis verbo finito expressa incidit, permanentem significat, quod quidem ita fit, ut vel res secundarias cum illa coniunctas oculis subiciat, vel rationem, qua actio illa conficiatur, accuratius atque uberius describat, nulla progressus narrationis, si dicere licet, ratione habita; alterum participium aoristi nullam nisi temporis notionem exhibens nihil aliud significat nisi rem aliquam semel factam esse et quidem ita, ut in rebus gestis enarrandis vel omnino res, quae ante actionem verbi finiti incidunt, animo proponat, vel progressum actionis indicans singula quaedam momenta ante oculos nobis ponat, quibus actio illa principalis contineatur et ubi alia actio aliam quasi excipiat.

Exemplis, quibus hanc rem illustrem, his utar:

O R. 790—812 ubi Oedipus enarrat Phoebum non respondisse ad ea de quibus consultum eum venisset, sed sibi effatum esse se cum matre Iocasta incestum facturum ac patri caedem illaturum esse: *πούφηνεν λέγον* etc, participium praesentis et quae sequuntur vim verbi finiti *προύφηνεν* accuratius definiunt. Deinde Oedipus v. 794 sq. in caede Lai enarranda pergit dicens *κἀγὼ ἐπακούσας* quod participium aoristi, ut in aoristi natura positum est, rem simpliciter tantum incidentem vel factam exprimit

[1]) Usum participii aoristi iam h. l. memoro eo tantum consilio, ut natura part. praes. c. illo comparata magis perspicua fiat. De part. aorist. ipso in extrema commentationis parte amplius agam.

et progressum rerum, quae narrantur, indicat; tum sequuntur duo participia praesentis quorum prius *ἐκμετρούμενος* [1]) verbo principali *ἔφευγον* alterum *στείχων* verbo *ἰκνοῦμαι* subiunctum agendi rationem verbis illis finitis insitam decribunt.

In fine orationis rursus participia aoristi suo loco collocata sunt, v. 807 *καί μ' ὁ πρέβυς ὡς ὁρᾷ — — παραστείχοντα τηρήσας*. Et senex simulac me vidit observans illud ipsum temporis momentum, quo praeteribam, feriit, me et v. 809 *τυπεὶς . . ἐκκυλίνδεται* ubi participium aoristi plagam ab Oedipo patri Laio, unde mors huic effecta est, inflictam significans eadem ratione atque praegressum *τηρήσας* nihil nisi notionem facti momentanei vel rectius actionis incidentis[2]) continet.

Aliud huius generis exemplum idque luculentissimum extat eiusdem fabulae 1241. sq. ubi *ἐξάγγελος* de morte, quam Iocasta, cum incestum quem cum Oedipi filio commiserat, cognovisset, sibi paraverat, verba facit atque rem ita quasi depingit, nt Iocastam ipsam tanquam cernere videamur. Ac primum quidem Iocasta dicitur *ὀργῇ χρωμένη . . .* i. e. irata, quo participio affectus animi vel conditio indicatur in qua uxor Oedipi eo tempore quo actio primaria *παρῆλθ' ἔσω* incidit, versatur, quaeque etiam post hanc rem factam permanet, quod non raro evenire supra pag. 35 sq. docuimus. v. 1243 *κόμην σπῶσ'* capillos evellens; participium rursus rem secundariam cum actione principali *ἦτο* coniunctam exprimit ac frequentativa vi[3]) indutum esse videtur.

Deinde nuntius narrationem continuat participio aoristi usus v. 1244 *ἐπιῤῥάξασ' ἔσω* h. e. »vi et impetu ab interna parte occludens (valvas),« quod participium aoristi, ut convenit eius usui, de re simpliciter facta dictum progressum rerum significare, quisque primo aspectu intelleget, qua de causa uberiore explicatione non eget.

v. 1252 eiusdem fabulae nuntius ad Oedipum transit ac de furore, quo cum scelera a se commissa patefacta comperisset ac perspexisset, captus sit, amplius loquitur. Participia quae h.l. leguntur usum participii praesentis et aoristi supra constitutum aeque bene confirmant atque illustrant et eadem ratione explicanda sunt qua in exemplis modo

[1]) *ἐκμετρούμενος* libris traditum cur Nauckius in *τεκμαρούμενος* mutaverit idoneam causam non video, nam aeque bene intellegi potest, subaudiendum enim est h. l. *φυγήν* ex *ἔφευγον* sive *τὸ κατ'ἐμέ, τὸ ἐμόν* erat enim ipsius Oedipi negotium fugam capessere, qua ipsa de causa medio opus. cfr. Wunder ad. h l. et Musgravius, Proverbium etc.

[2]) Cfr. Georg. Curtius: Erläuterungen zu meiner griech. Schulgram. Prag. 1870. pag. 180.

[3]) Cfr. pag. 39 huius disput.

allatis usus sum. v. 1252 *βοῶν* et 1255 *ἑξατῶν* res exprimunt quae cum actionibus primariis *εἰσέπιασεν* et *φοιτᾷ* coniunctae sunt easque quasi comitantur, si dicere licet.

Notandum tamen est in altero participio *ἑξατῶν* summam vim esse positam et quidem maiorem, quam quae verbo finito, quocum coniungitur, subest, quod rectum esse quis est qui neget? Et stabilitur haec interpretatio nonnullis aliis exemplis quae suo loco adscribam cfr. O. C. 1038 *χωρῶν ἀπείλει* cfr. O. C. 1347 *εἰπὼν — ἔκπεμψα.* cfr. Trach. 1120. Imprimis ea participia quae cum *τυγχάνειν κυρεῖν λανθάνειν* similibus construi solent summam in sententiis potestatem nanciscuntur, verba finita autem nihilnisi significationem quandam adverbialem continent, de qua re alio loco dicendum mihi erit. —

Iam redeamus ad id unde aberravimus. v. 1260 *δεινὸν δ' ἀύσας . . . . . ἐνήλατ'* orator rursus variat orationem participium aoristi ita adhibens, ut indicet progressum narrationis. Nam inducit rem ante actionem principalem incidentem, quam tamen etiam per tempus, quo illa actio verbi finiti conficiatur, permanere cogitari potest, quod luce clarius fit ex eo quod sequitur, 1265 *βρυχηθεὶς τάλας χαλᾷ* etc, ubi nihil obstat, quin duas actiones et participii et verbi finiti in idem fere tempus incidere animo nobis fingamus, et maxime ex O. C. 1398 *ἀύσας — ἠρώγει,* ubi participium tanquam formam actionis verbo finito expressae efficit; de quo usu aoristi postea copiosius disputandam erit.

Recedunt ab hoc dicendi genere obiter tantum hic commemorato participia aoristi quae O. R. 1268 sq. suo loco posita sunt *ἀποσπάσας — — ἄρας ἔπαισεν . . . . .*

Participia h. l. non actiones, quae in idem tempus, ubi actio verbi finiti fit, incidunt, sed ei praegrediuntur, significant; nuntius enim verbis modo prolatis rationem qua Oedipus oculos transfixerit, diligentius exponens singula totius actionis momenta, ubi aliud aliud excipiat, nobis ob oculos ponit, cui loquendi rationi participium aoristi maxime aptum est, cum actionis incidentis notionem, ut G. Curtius l. l. p. 180 optime probavit, contineat. Deinde rursus participia praesentis usurpantur ad eas res, quae actionem illam principalem transfigendi oculos), comitentur, significandas: 1271 *αὐδῶν τοιαῦθ'* et 1275 *τοιαῦτ' ἐφυμνῶν — — ἤρασσ' ἐπαίρων βλέφαρα.*

Cum locis adhuc tractatis conferendi sunt: Ai. 233 sq. ubi caedes pecorum ab Aiace patrata accuratius describitur *ἄγων ἦλυθε ποίμνην. . . . . πλευροκοπῶν ἀνερρήγνυ* deinde vero *κριοὺς ἀνελών, — — — ῥίπτει θερίσας* et v. 240 *τὸν δ'ὀρθόν — — δήσας ῥυτῆρα λαβὼν παίει* ubi participiis aoristi eodem modo quo O. R. 1268 singula momenta, quae actionem principalem (*παίει*) proxime antecedunt, significantur, denique participium praesentis *δεννάζων* spectat ad convicia quibus Aiax in feriendo utitur. Sub idem genus cadit Ant. 418 ubi sermo est de tempestate, quae orta est eo tempore, quo Antigonam in Polynice sepeliendo custodes deprehendebant, *τυφὼς αείρας σκηπτόν,* originem procellae cum fulgure mixtae indicat, *αἰχίζων φόβην* autem damnum ex tempestate profectum ac permanens describit verba *πίμπλησι πεδίον* generaliter magis dicta accuratius definiens.

cf. El. 739 sq. ubi de equorum certamine in quo Orestes mortem obiit, uberius agitur *ηλαυνέτην . . προβάλλων . . .* v. 743 *ἔπειτα λύων ἡνίαν λανθάνει . . . παίσας.* Deinde. v. 750 sq. paedagogus de morte ipsa Orestis verba facit ac de dolore quo totus civium exercitus ceterique aurigae ea affecti sint: *οἳ ἔργα δράσας οἷα λαγχάνει κακά, — φορούμενος . . .* et *προφάνων . . .* quibus participiis praesentis *κακά* illa qnae passus est Orestes quasi depinguntur.

Cfr. Trach. 903 sq. ubi nutrix pluribus verbis narrat, quas lamentationes Deianira, cum veste illa pestifera quam Herculi miserat marito interitum se attulisse comperisset, ediderit, et qua ratione mortem sibi paraverit; *κρύψασ' . . . βρυχᾶτο — βωμοῖσι προσπίπτουσ'* et quae sequuntur 907 etc. *στρωφωμένη — εἰσορωμένη* et quod v. 910 legitur *ἀνακαλουμένη* ad verbum finitum *ἔκλαεν* referenda sunt cuius actionem illustrant atque quasi exornant participia. — In eodem nnmero ponenda sunt Trach. 936 sq. *οὔτ' ὀδυρμάτων ἐλίσσετ' οὐδέν, ἀμφί νιν γοώμενος οὔτ' ἀμφιπίπτων* et quae sequuntur.

---

§ 11. De nonnullis participiis praesentis et aoristi speciem quandam abundantiae prae se ferentibus.

Spectanti mihi locos modo allatos participiis imprimis praesentis magna orationis ubertas inesse videtur, atque admirabilis est in eis perspicuitas, qua nutrix caedem Deianirae v. 903 sq. ac deinde 936. sq. dolorem quem filius ex eius morte ceperit decribit ita, ut res quae narrantur tanquam oculis cernere atque auribus excipere videamur. Atque ex hac potissimum re summa vis participii praesentis repetenda est, quod actionem demum se explicantem vel conditionem in qua quis versetur, permanentem sensibus nostris quasi subicit. Hoc quoque maxime cadit in participia nonnullorum verborum, quae in enuntiationibus verbis finitis non raro cum aliqua sermonis abundantia adiunguntur. In numerum horum participiorum imprimis referenda sunt: *ἔχων, φέρων ἄγων* ac *λαβών*, quod quamquam est participium aoristi, tamen

h. l. non praetermittendum esse mihi videtur, quod simili modo atque participia illa praesentis ad rei vel actionis imaginem accuratius depingendam usurpari solet. Eadem de causa huc refero participia, quae eundi significatione praedita sunt *μολών*, *ἐλθών*, atque imprimis *ἰών*. Iam in animo habeo usum horum participiorum, qualis sit apud Sophoclem paulo diligentius adumbrare atque exemplis nonnullis illustrare. Participia modo in medium prolata, si generalem eorum vim spectamus, nihil nisi id significant, quod Classen in libro suo iam saepius laudato in universum ita exprimit[1]) »wo die Participia — ein ganz äusserliches Verhältniss räumlicher Verbindung oder Bewegung dem verbum finitum hinzufügen,« deinde conferas, quod eadem pagina adnotat, nos enim dicit in vernacula participia illa *ἔχων φέρων ἄγων* plerumque praepositione »mit« satis leviter reddere solere, neque raro molestam eis includi abundantiam statuere, attamen iniuria hoc statui, quod si usus horum participiorum maiore cum studio ac diligentia investigaretur, semper certam quandam conditionem, qua quis[2]) uteretur, eis exprimi appareret. Iam quod ad usum participiorum de quibus sermo est, attinet notum est *ἔχων* ac *λαβών* et de animalibus et de rebus, *φέρων* solum de rebus, *ἄγων* contra plurimis locis de animalibus usurpari, quam differentiam ex ipsa verborum illorum notione proficisci nemo non videt.

Subtilius est discrimen, quod intercedit inter *ἔχων* ac *φέρων*, differunt enim haec participia maxime eo quod priore significatur obiectum ex eo pendens cum persona subiecti arctissime cohaerere atque in ea conditione permanere, altero vero *φέρων* nihil aliud indicatur nisi obiectum, quod ab eo suspensum sit, ad tempus tantum cum subiecto coniungi et quidem eo consilio, ut proximo temporis momento in alius hominis usum transferatur, ut ita dicam, quod cum evenerit, rationem, quae antea inter obiectum illud ac subiectum interfuerit, iam non extare, per se facile intellegitur.

Ac primum quidem ad hunc usum illustrandum pauca exempla participii *ἔχων* afferam. Verbi *ἔχειν* praecipua ac vestustissima vis est manibus tenendi, inde dicitur de eis qui armis aut rebus paci inservientibus instructi sunt[3]). Trach. 265 *χεροῖν ἄφυκτ' ἔχων βέλη*. El. 1395 *νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων* quem locum Wunderus recte interpretatus est cum amplius demonstraret vocabulum *αἷμα* h. l. gladii significationem quodammodo habere.

[1]) Cfr. Classen l. l. pag. 81.
[2]) Dico: persona agens.
[3]) Quo in genere loquendi imprimis Homerus excellit cf. Classen pag. 82.

De ceteris exemplis huc pertinentibus conferas quaeso Lexicon Sophocleum viri doctissimi Ellendt, qui summo cum studio ac diligentia maxime laudabili omnes locos, ubi participia *ἔχων φέρων* similia reperiuntur, collegit ac disposuit, quam ob rem omnino ad lexicon huius viri eos relego, qui totum hunc usum accuratius inquirere atque singula exempla examinare velint. Ego quidem cum temporis angustiae me impediant, quominus omnes locos, qui huc referendi sint, pertractem h. l nihil aliud ago nisi ut usum horum participiorum in universum adumbrem paucisque exemplis illustrem atque eos tantum locos, de quibus explicandis viri docti dissentiunt, paulo accuratius investigem.

A primaria verbi *ἔχειν* significatione facile deflectitur habendi et possidendi notio, quae invenitur eis locis ubi sermo est de illis, quae in potestate alicuius sunt, imperio opibus instrumentis scientia aliis. cf. Phil. 279 *ναῦς ἃς ἔχων ἐναυντόλουν*.

O. R. 252 sq. *ἐπεὶ κυρῶ τ' ἐγὼ ἔχων μὲν ἀρχὰς . . . . ἔχων δὲ λέκτρα*.

Trach. 645 et 646 *σοῦται — — λάφυρ' ἔχων*[1]).

Deinde longe usitatissimum de habitu cum corporis tum animi, quo quis utitur vel de indole, qua quis praeditus est.

Phil. 403 *ἔχοντες — σύμβολον σαφὲς λύπης πεπλεύκατε*.

O. C. 558 *τίνα πόλεως ἐπέστης προστροπὴν ἔχων*. cf. 1309 *σοὶ προστροπαίους λιτὰς ἔχων*. Quocum conferas: Phil. 171 *μηδὲ σύντροφον ὄμμ' ἔχων*. O. C. 877 *ὅσον λῆμ' ἔχων ἀφίκου*. ibid 907 *ὥσπερ αὐτὸς τοὺς νόμους εἰσῆλθ' ἔχων*. Cum his conferendi sunt imprimis ei loci, ubi participium verbo finito arctius adiungitur, ut in locis modo allatis, nam hac ipsa coniunctione maxime illa perspicuitas in dicendo, de qua paulo ante locuti sumus, efficitur. cf. El. 774 *εἶ . . . πίστ' ἔχων τεκμήρια προσῆλθες*.

Ant. 635 *σύ μοι γνώμας ἔχων χρηστὰς ἀπορθοῖς*.

Exemplis adhuc allatis participium *ἔχων* deesse omnino non potuit, quod pars sententiae eo continetur, attamen extant nonulli alii loci ubi *ἔχων*, quamquam non plane otiose tamen cum aliqua abundantia positum esse videtur velut:

Trach 760 *ταυροκτονεῖ δώδεκ' ἐντελεῖς ἔχων λείας ἀπαρχὴν βοῦς* quo loco *ἔχων* salvo sensu omitti potuit. cf. Ai. 56 sq. *καὐδόκει μὲν ἔσθ' ὅτε διασσοὺς Ἀτρείδας αὐτόχειρ κτείνειν ἔχων*, hoc quoque loco sententia etiam si participium *ἔχων* deesset, non mutilaretur, nam quod significat, per se quisque intelleget ae facile mente supplebit.

Ai. 87 *μέν' ὡς κυρεῖς ἔχων* et ibid. 347 *καὐτὸς ὡς ἔχων κυρεῖ*. — *κυρεῖν* et *ἔχων* coniuncta Pleonasmi speciem referunt, neque tamen re vera efficiunt, quod *ἔχειν* se

[1]) cf. Ellendt s. v. *ἔχω* pag. 292.

habere aliquo loco vel in rerum certo aliquo statu esse significat. cf. Ellendt. — Ne speciem quidem abundantiae praebent Ant. 1273 et Phil. 381 quos locos Ellendt falso ut mihi quidem videtur huc refert, cum altero loco in Antigona verba *μέγα βάρος ἔχων* verbo finito *ἔπαισεν* adverbialem quandam vim adiciant, significant enim: graviter me deus afflixit atque id ipsum poeta h. l. urgere vult, quod deus Creontem graviter[1]) concussit eamque ob causam verba illa *μέγα βάρος ἔχων* apposuit, quod si ita est, abundantia in eis nulla conspicitur. Neque major abundantia reperitur in Phil 381, nam si *ἔχων* h. l. omitteretur, pronomen *ταῦτ'* sc. *ὅπλα* omnino non haberet unde penderet, quam ob rem sententia huius loci participio illo carere non potest.

Simili modo quo *ἔχων* participium *φέρων* quoque cum verbo finito coniungitur, quod qua ratione fieri soleat et qua in re duo illa participia differant paulo ante pluribus verbis demonstravimus. Quam ob rem hic usus participii *φέρων* statim nonnullis exemplis illustrandus erit. Apud Homerum *φέρων* verbis, quae dandi sive ponendi notionem exhibent, saepius apponi solet et quidem eo consilio, ut id temporis momentum sive ea res, quae actionem illam proxime antecedat, legentibus nobis ante oculos ponatur ad illustriorem reddendam rei imaginem cf. Hom. Od. *α* 127:

ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα
μακρὴν | δουροδόκης ἔντοσθεν ἐϋξόον

et Od. i. 361 *τρὶς μὲν ἔδωκα φέρων*, sic omnino *φέρων* apud Homerum usurpari solet ubi ratio describitur, qua quis hospitio excipiatur vel ut si ancilla hospiti cibos apponit vel aquam manibus pedibusve lavandis inservientem cf. Od. *α*. 136. 139

χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα,

Sic saepius reperitur *φέρων* apud Homerum Od. *δ*. 52. 55.[2])

Huiusmodi exempla apud Sophoclem frustra quaesivi neque ulla reperi, quae cum locis ex Homero modo allatis plane congruant; comparari tamen licet:

Trach. 622 *τὸ μὴ οὐ τόδ' ἄγγος ὡς ἔχει δεῖξαι φέρων*, et Creus fr. 321. 2 *ἦν . . . . αὐτός τις αὐτῷ τὴν βλάβην πρόσθῃ φέρων*, ubi similitudo quae eis participiis inest cum illis exemplis ex Homero desumptis in eo maxime cernitur, quod *φέρων* eodem modo quo

[1]) vel ut Nauckius recte interpretatus est »mit schwerem Drucke« *βαρύτατα*. Wunderus mea quidem sententia locum non prorsus recte explicavit dicens *βάρος ἔχων* idem valere ac *βαρύνων*; nam non tam de ira dei h. l. sermo est, quam de calamitatis ictu Creonti a deo graviter inflicto.

[2]) De ceteris locis ad hoc genus pertinentibus cf. Classen l. l. pag 84 et 85.

ἔχων versibus supra laudatis cum quodam verborum ambitu additum est. Similis sermonis abundantia apparet El. 1113 *φέροντες αὐτοῦ σμικρὰ λείψαν' ἐν βραχεῖ τεύχει θανόντος, ὡς ὁρᾷς, κομίζομεν;* ubi etsi certe brevius poetae dicere licuit, tamen non idem utroque hoc verbo significatum est, ut Wunderus ad h. l. recte adnotat. »Nam, inquit, *φέρειν λείψανα* dicitur is, qui manu portat[1], tenet urnam, *κομίζειν* autem qui affert, traditurus ei, ad quem accesserit.« Ceteris locis ubi *φέρων* legitur, eiusmodi orationis abundantia apud Sophoclem non occurrit. Frequens autem ei est imprimis is usus participii *φέρειν*, ut cum verbis eundi ac veniendi coniungatur, qua verborum coniunctione maxime significantur venientes et secum quid ferentes.

Sic *φέρων* saepius invenitur coniunctum cum *ἥκω* velut O. C. 287 *ἥκω ... φέρων ὄνησιν αὐτοῖς* cf. 579, deinde O. R. 86 *τίν' ἦμαρ ἥκεις τοῦ θεοῦ φήμην φέρων* aderat autem Creon peregre adveniens, saepius enim *ἥκω* idem fere valet atque latinum adesse. cf. Ant. 1172 *τί δ' αὖ τόδ ἀχθος βασιλέων ἥκεις φέρων*, aderat enim nuntius. Confer praeterea O. C. 357 et Phil. 1267 ubi haec leguntur: *λόγους δ' ἄκουσον, οὓς ἥκω φέρων* loquitur Neoptolemus. Adsum et redii, si quis interpretatur non obsto: mihi tamen ut Ellendtio nihil inesse videtur nisi *οὓς φέρω*, modo quod illud elegantius rem imagine complectitur; denique afferendus El. 1324 *εἶσιτ', ὦ ξένοι, ἄλλως τε καὶ φέροντες οἷ'. . .*

Trach 757 *κῆρυξ . . . ἧκεν' οἰκεῖος λίχας τὸ σὸν φέρων δώρημα,*[2])

Sub idem genus ad quod *ἔχων* ac *φέρων* pertinet, *ἄγων* cadit[3]) eandemque vim habet in sententiis, de qua supra paulo uberius locuti sumus. Differt autem, ut memoravimus, *ἄγων* ab *ἔχων* ac *φέρων* quod non ut haec participia de rebus inanimis usurpari solet, sed plurimis locis de rebus animatis dicitur agendi adducendi abducendi significatione cf. O. C. 1146 *τάσδε γὰρ πάρειμ' ἄγων ζώσας*, quibus verbis elegantior continetur circumscriptio pro simplici *ἄγω* sive *προσάγω*, dixit autem Theseus illud *πάρειμ'* industria, quod urgere voluit se iam adesse et Oedipo filias ab insidiis Creontis defensas restituere, *ἄγων* ipsum Theseum filias ad Oedipum reducentem in scenam quasi producit, quod a participii praesentis vi repetendum est, quae in eo, ut iam supra docui, maxime patet, quod res tanquam imagine circumscribens oculis

[1]) quae est primitiva verbi *φέρειν* significatio.

[2]) cf. Ellendt lex. Sophoc. s. v. *ἥκω* et s. v. *φέρω*, ubi plura huius generis exempla attulit.

[3]) Classen l. l. pag 81.

nostris subiciat. cf. Ant. 395 *ἥκω κόρην ἄγων*[1]) cfr. Phil. 488 *πρὸς οἶκον τὸν σὸν ἔκσωσόν μ' ἄγων*, ubi *ἄγων* viam ac rationem, qua actio principalis conficiatur, indicat. Cfr. Phil. 481 *ἐμβαλοῦ μ' ὅπῃ θέλεις ἄγων*. *ἄγων* in his exemplis circumlocutioni faciendae adhibetur, ita ut apto ornamento rei imaginem illustret ut aliis alia locis conveniunt, *ἔχων φέρων*. Otiosa autem in his locutionibus participia non sunt, neque adsentior Schaef. ad O. C. 1342 haec scribenti: »hoc quoque participium in eorum numero est, quae omissa nemo requireret. Sic autem Sophocles *ὁμηρικῷ ζήλῳ*. Quis enim non memininerit Il. *β*. 558 *στῆσε δ' ἄγων, ἵν' Ἀθηναίων . . . . . .* Ne apud Homerum quidem participia illa sua quadam vi plane destituuntur[2]). Apud Sophoclem hic usus participii *ἄγων* non ita frequens est. Praeter locos modo exscriptos Phil. 488 et 481 hunc solum reperi: O. C. 910 *ἐν δόμοισι τοῖσι σοῖς στήσω σ' ἄγων*, ubi Sophocles plane eodem modo *ἄγων* participium adhibuit quo Homerus. l. l. Relinquitur ut addam locos, ubi *ἄγων* apud poetam nostrum de rebus inanimis dicatur, cuius generis tria tantum exempla inveni, quorum primum extat O. C. 353. *πρόσθεν μὲν ἐξίκου πατρὶ μαντεῖ' ἄγουσα πάντα*; alterum Ant. 1330 *φανήτω μόρων ὁ κάλλιστ' ἐμῶν — τερμίαν ἄγων ἐμέραν ;* tertium Trach. 750 sq *εἶρπε . . . . . νίκης ἄγων τροπαῖα κἀκροθίνια.*

Similem in modum quo participia *ἔχων φέρων ἄγων* etiam participium aoristi *λαβών* adhibitum reperimus ad actionis cuiusdam imaginem ut ita dicam accuratius illustrandam vel uberius explicandam. Nec tamen omnia quae vulgo per saturam congesserunt parem causam habent. In aliis enim locis participium *λαβών* necessariam enuntiati partem efficit, qua remota sententia loci aut mutatur aut omnino non intellegi potest, cuius generis sunt: Trach. 259 *στρατὸν λαβὼν ἐπακτὸν ἔρχεται πόλιν τὴν Εὐρυτείαν.* Ai. 241 *ῥύτηρα λαβὼν παίει.*

Ai. 286 *ἄμφηκες λαβὼ ἐμαίετ' ἔγχος* alios.

O. C. 1010 *τὰς κόρας τ' οἴχει λαβών* similia. —

Alia minus illustri significatione sunt: O. R. 641 *κτεῖνα λαβών.* cfr. ibid. 607 *ἐάν με τῷ τερασκόπῳ λάβῃς . . . . . βουλεύσαντα μή μ' ἁπλῇ κτάνῃς — — — λαβών* ubi Ellendt in lex. Soph. *λαβών* cum praecedente *λάβῃς* coniungit idque abundanter addi censet ea ratione ut fortiorem deprehendendi iterationem contineat, neque tamen cum viro illo docto consenserim, primum quod *λάβῃς* et *λαβών* collocatione sua nimis late

[1]) Cfr. Ellendt lex. Soph. s. v. *ἄγω* ubi omnia huius usus exempla diligenter collecta invenies velut Trach. 400. Ai. 234. etc.

[2]) cfr. Classen l. l. pag. 81.

distant, quam ut coniungi possint, deinde quod altera structura, qua *λαβών* ad *κτάνῃς* refertur cum propter verborum collocationem et sententiam ipsius loci tum propter exemplum modo prolatum O. R. 641, ubi eadem constructio extat, praeferenda esse videtur[1]). Comparandus quoque est O. R. 1391 *τί μ' οὐ λαβὼν ἔκτεινας εὐθύς*, i. e. cum me potitus esses si propriam participii vim reddere velimus; hoc autem loco sensum habet: cum essem ad te delatus; dicit enim Cithaeronem, ad quem Oedipus h. l. orationem convertit. –

Praeterea huc refero: O. C. 860 *τόνδ' ἁπάξομαι λαβών* cfr. Ai. 1098 *ἦ σὺ φῂς ἄγειν τὸν ἄνδρ' Ἀχαιοῖς δεῖρο σύμμαχον λαβών*. Ai. 1115 *κήρυκας λαβών . . . . ἧκε.* Ant. 398 *νῦν τήνδ' αὐτὸς, ὡς θέλεις, λαβὼν καὶ κρῖνε κἀξέλεγχε* cfr. ibid. 401. 916 *νῦν ἄγει με — οὕτω λαβών*. Trach. 1066 *δός μοι — λαβὼν εἰς χεῖρα τὴν τεκοῦσαν.*

Phil. 1282 *δόλοισι τὸν βίον λαβὼν ἀπεστέρηκας* cfr. ibid. 931. et El. 949. *Αἰδὴς λαβὼν ἀπεστέρηκε*. Notandum est in his locis differentiam, quae inter aoristi participium *λαβὼν* et perfectum *ἀπεστέρηκας* extet, maxime perspicuam esse, *λαβών* enim Phil. 1282 simpliciter significat eum i. e Neoptolemum qui Philoctetae (dolo) vitam, scilicet res ad vitam necessarias (sagittis subductis) ademit nulla alia ratione habita, perfectum contra *ἀπεστέρηκας* ad statum praesentem qui inde secutus sit, spectat. i. e ad summam egestatem vel omnino ad vitae finem itaque Philoctetes Neoptolemum incusare potuit, quod se vita privaverit, alterum enim (*ἀπεστέρηκας*) ex altero *λαβών* efficitur.[2])

Restat, ut s. v. *λαβών* afferam Ai. 675 *ὁ παγκρατὴς ὕπνος λύει πεδήσας, οὐδ' ἀεὶ λαβὼν ἔχει* de somno dictum qui homines quasi constrictos tenet. Alio sensu legitur: Phil. 942 *τὰ τόξα μου ἱερὰ λαβὼν — ἔχει.* cf. Phil. 1234 *αἰσχρῶς γὰρ αὐτὰ κοὐ δίκῃ λαβὼν ἔχω*, ubi *λαβών* ad eam notionem verbi *λαμβάνειν* redit, quae est: capere vel vi vel dolo ut vel possideamus vel potiamur vel adimatur aliquid alteri.

Omnibus igitur locis imprimis inde a O. C. v. 860, ubi *λαβών* adiectum repetimus totius rei vel actionis imaginem illustriorem ac pleniorem evadere videmus, atque etiamsi non uno quoque loco *λαβών* prorsus necessarium est ad intellegendum

[1]) cfr. Schneidewin ad h. l.

[2]) Eadem ratione El. 949 explicandus est.

velut in Trach. 1066 Ai 1115. 1098. 675 Phil. 1282 El. 949, neque verbo de verbo nobis vertatur, tamen cur addatur *λαβών* clare apparere mihi videtur ex exemplis prolatis.

Haec sunt quae de participio *λαβών* dixerim, priusquam tamen ad aliud transeam, monendum mihi est, participium aoristi *λαβών*, quanquam similitudinem aliquam[1]) cum participiis *ἔχων*, *φέρων*, *ἄγων* habere, si exempla modo laudata respicio, negare non possum, tamen eo differre a ceteris participiis, quod non ut supra iam indicatum est, actionem demum se explicantem vel conditionem quandam permanentem in quam orator, quasi sit praesens, se insinuet, animo repraesentat, sed nulla status praesentis ratione habita nihil aliud exprimit, nisi simpliciter actionem fieri vel rem factam esse, quae significatio ad primariam aoristi notionem revocari debet[2]). Inde sequitur, ut similitudo, quam in re describenda inter aoristi participium *λαβών* et participia illa praesentis *ἔχων*, *φέρων*, *ἄγων* intercedere intelleximus, non ab aoristi natura repeti possit, sed ex toto sententiarum conexu atque verborum coniunctione, quae in hoc genere dicendi reperitur, derivanda sit.

Similiter ac *φέρων*, *ἔχων*, *ἄγων*, *λαβών* etiam nonnulla alia participia, quibus notio motus, qui in aliquem locum dirigitur, continetur, orationis variandae et ut ita dicam animandae munus suscipiunt, qualia sunt *μολών*, *ἐλθών*, *ἰών*. Neque magis quam in participiis modo tractatis propter difficultatem, quae in singulis locis vertendis non raro nobis obicitur, committemus ut in his participiis praeclarum illud Graecae linguae ingenium, quod in horum participiorum usu cernitur, ignoretur et vis eis insita silentio praetereatur.

Ac primum quidem de participio *μολών* pauca nobis dicenda erunt. Ut *ἔχων*, *ἄγων*, cetera participia, de quibus locuti sumus, ita etiam *μολών*, quamquam non re vera abundanter tamen cum specie quadam abundantiae interdum dici solet.

Maior numerus exemplorum quae in hoc genere deprehendi non multum a propria significatione (eundi, veniendi) discedit velut Ant. 1208 *δεσπότῃ Κρέοντι σημαίνει μολών*. Trach. 387 *πυθοῦ μολοῦσα τἀνδρός* ibid. 1016 *οὐδ' ἀπαράξαι . . . θέλει μολών*, confer Ai. 1386. ib. 785. Phil. 920. O. C. 1164. Trach. 393.

[1]) Ea similitudo ex ubertate quadam dicendi et abundantia minime molesta, quam eiusmodi participia sententiis tribuunt, elucet.

[2]) Cfr. Delff: Programm des Meldorf. Gymnas. Itzehoe 1851. der griech. Aor. in seinem Verhältniss zu den übrigen Zeitformen des Verbs, pag. 8 et 10.

Praeterea Ai. 854 *ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών* et Phil. 330 *ἄγαν ὑπ' αὐτῶν ἐξελωβήθην μολών*[1]). Quibus duobus locis cur Ellendtio *μολών* magis quam ceteris locis abundare videatur, frustra quaero causam.

Reliquos autem locos, ubi *μολών* legitur, quos omnes Ellendtius collegit cavendum est, ne huc referamus, cum in eis *μολών* aut per se ac suo iure positum suam propriam habeat vim (scilicet eundi vel veniendi) velut O. R. 396. *ἐγὼ μολὼν ἔπαυσά νιν* et O. C 497 *σφῷν δ' ἑτέρα μολοῦσα πραξάτω τάδε* aut cum notione loci coniunctum velut in his exemplis: O. R. 35 *ἄστυ Καδμεῖον μολών*. O. C. 1601 *τὼ δ' εἰς πρόσθιον πάγον μολοῦσαι ἐπόρευσαν*. Ai. 404 *τοῖ μολὼν μένω*. El. 39 *μολὼν δόμων ἔσω* cfr. Trach. 421: vel cum alia locutione adverbiali consociatum velut O. C. 897 *ὡς τάχιστα μολὼν ἀναγκάσει* cfr. O. R. 946. O. C. 1475. Trach. 395 *σὺν χρόνῳ βραδεῖ μολών* necessariam in enunciatis efficiat partem, qua sententia nullo modo carere potest.

Restat, ut ad usum participii aoristi *μολών* modo descriptum id tantum moneam, hunc dicendi usum eadem ratione explicandum, qua paulo ante participium *λαβών* interpretati sumus. Ex illis hoc quoque sequitur ut, quod participium *μολών* de re praesente vel futura illustranda interdum dicitur, id non ex aoristi natura, sed ex tota rerum conditione ac sententiarum conexu explicandum sit.

Eadem ratio valet ad *ἐλθών* ab aoristo *ἦλθον* formatum, quod participio *μολών* simillimum est et pariter atque illud saepius *φράσεως ἕνεκα*, ut grammatici dicunt, rei gestae narrandae adicitur, quo a praesente et negotiis quasi sese immiscente manifestius facta arguatur. O. C. 79 *δημόταις λέξω τάδ' ἐλθών*, quocum comparandus Ant. 1100. ib. 1107. Ai. 1276. El. 1033 *ἐλθοῦσα μητρὶ ταῦτα πάντ' ἔξειπε σῇ* i. e. abi et narra; cui persimile est *τῷ δὲ σύμπαντι στρατῷ λέξω τάδ' ἐλθών* Phil. 1258. Omnibus his locis *ἐλθών*, etsi obiter tantum inspicienti salvo sensu omitti posse videatur, tamen, si accurratius consideres, nihil abundantiae habet, sed ut *μολών* prius memoratum nullum nisi illud munus gerit, ut actionem de qua sermo est, quomodo procedat, describat et quasi in conspectu eorum qui legunt, ponat[2]). Unum tantum locum reperi apud Sophoclem Phil. 1284, ubi *ἐλθών* re vera magnam praebet abundantiam

[1]) Apud Homerum, quantum ego quidem scio, nullum exemplum huius usus participii *μολών* extat.

[2]) Ex Homero conferas quaeso Il. *Π*, 521. *οὐ δύναμαι . . . . μάχεσθαι ἐλθὼν ὀνομακλυτὸν υἱόν* cfr. ibid. 668.

neque quisquam si deesset, desideraret; verba enim sunt Philoctetae ad Neoptolemum, qui iam diu adfuit, dicta: *κᾆτα νουθετεῖς ἐμὲ ἐλθὼν.*

In ceteris autem locis modo memoratis id maxime memorabile est, quod participia *μολών* et *ἐλθών* aut cum verbo *θέλω* velut Trach. 1016 vel futuro O. C. 79 *λέξω τάδ' ἐλθών* cfr. Phil. 1258 aut cum imperativo Ant. 1100. *ἐλθὼν . . . . . ἄνες* cfr. Ant. 1107 Trach. 387. Ai. 785. et 854 coniunguntur, quod genus dicendi ita explicandum esse puto, ut participia illa tanquam primum gradum significent, quem quis facit ad actionem quam quod futuro vel verbo *θέλω* indicatur, inire velit, conficiendam vel ad rem, quam gerere iussus est (imperativo) persequendam.

Tertium huius generis participium, quod notione eundi praeditum nominativo casu dictum verbis eo consilio additur, ut oratio plenior evadat et actio sive res qualiscunque manifestius enarretur, est *ἰών*, cuius ratio patet ex hoc exemplo Phil. 353 *εἰ τἀπὶ Τροίᾳ πέργαμ' αἱρήσομ' ἰών*; deinde ad id quod modo de participiis *μολών* et *ἐλθών* cum imperativo iunctis memoravimus conferri licet quae leguntur:

O. R. 1393 *ταῦτ' ἀκούσας στεῖχε, κἀξάγγελλ' ἰὼν καὶ πᾶσι Καδμείοισι.*

Ai. 806 *ζητεῖτ' ἰόντες ἀνδρὸς ἔξοδον κακήν.*

Subdita quidem sed non expressa eundi notione *ἰών* dicitur: Ai. 304 *συντιθεὶς γέλων πολὺν ὅσην κατ' αὐτῶν ὕβριν ἐκτίσαιτ' ἰών.* Ant. 768 *ὁράτω, φρονείτω μεῖζον ἢ κατ' ἄνδρ' ἰών*, altero significatur nocturna Aiacis vagatio, altero Haemonis abeuntis pervivacia.

Iam si priore loco Ai. 304 verba ex logica ratione diligentius examinanti rerumque progressum consideranti participium praesentis *ἰών* ad rem praeteritam[1]), quae actionem verbo finito *ἐκτίσαιτ'* indicatam antecesserit, spectare videtur hoc nihil offensionis habet, quod illud *ἰών* non de re simpliciter perfecta dictum est sed uberius paullulum describit et tanquam oculis nostris proponit, quomodo res, cuius auctor Aiax extiterit, confecta sit vel se explicuerit. Ad eiusmodi autem descriptiones participium praesentis accommodatissimum est eamque ob rem *ἰών* suo loco positum habemus. Conferre licet O. C. 1402 *δεῦρ' ἰὼν ὅποῖ ἔπρασσον*, ubi *ἰών* similiter explicandum et ad trivium referendum esse mihi videtur. cfr. etiam O. C. 1393.[2]) et Ai 806.

[1]) Aliter Romahn de relatione temporali etc. Vratislav. 1863 (diss. inaug.) p. 19. Ego potius dixerim Aesch. Choeph. 779 esse, quod dicunt part, imperfecti.

[2]) Similiter *ἄγων* usurpatum est, O. C. 910 *στήσῳς ἄγων* Phil. 608. et 481. Ant. 772.

Phil. 353 locus paulo ante laudatus. —

Ceteroquin omnes ei loci, ubi *ἰών* cum adverbio loci velut O. C. 1402. versu modo allato. O. R. 460. *ταῦτ' ἰὼν εἴσω λογίζου*. ib. 603. *Πυθὼ' ἰών*, coniungitur, huic participiorum classi, de qua disputamus, assignari non debent, quod ratio eorum ab ea, quam in exemplis adhuc a nobis prolatis conspeximus, diversa est, cum *ἰών* in eis non tam orationis ubertati atque perspicuitati in dicendo augendae inserviat quam necessariam in sententiis partem exhibeat idem quod pag. 51 libelli nostri iam ad *μολών* et *ἐλθών* a nobis observatum est.

Referenda autem sunt ad illum dicendi usum, de quo iam satis copiose locuti sumus, participia *παρών* ac *συνών*, quae simili ratione atque verba adhuc prolata *φράσεως ἕνεκα*, ut ita dicam, sententiis adiciuntur omni molesta abundantia remota, attamen a participiis modo pertractatis hoc modo differunt, ut non sicut illa motus significationem contineant, sed quietis notione instructa sint. Alterum enim *παρών* aliquem qui adest, alterum *συνών* aliquem qui una cum aliquo homine versatur, significat.

In *παρών* igitur participio ne quis haereat, tenendum est saepe id nunc cum verbis videndi et audiendi ita coniungi, ut sit suis oculis vel suis auribus, nunc cum verbis dicendi et sciendi ut sit testis oculatus nunc cum aliis verbis agendi sic ut nihil fere sit nisi Latinorum ipse, qua in re tamen monendum, quod quivis facile concedet, participium Graecorum *παρών* maiorem cum vim tum perspicuitatem orationi tribuere, quam simplex Latinorum pronomen.

Παρών autem is dicitur, qui ipse adest suis oculis visurus auribusve auditurus in his exemplis:

Trach. 896 *εἰ παροῦσα πλησία ἔλευσσες.*

Phil. 410 *εἰ παρὼν Αἴας ὁ μείζων ταῦθ' ὁρῶν ἀντείχετο*, ubi minime abundat *παρών*, ut recte monuit Ellendt, sed iungendum cum *ὁρῶν*, si patienter hoc tulit ipse suis oculis cernens.

De aurito teste: Trach. 431 *ὅς σοῦ παρὼν ἤκουσεν* cfr. Trach. 422, Ant. 1192, ubi *ἄγγελος* testis oculatus de Haemonis morte se narraturum promittit, *παρὼν ἐρῶ*. Hic usus apud Homerum non reperitur, tragicis tamen communis est cf. Aesch. Pers. 366 *παρών γε κοὐ λόγοις ἄλλων κλύων*. Eurip. I. A. 1677 *παρὼν δὲ καὶ τὸ πρᾶγμ' ὁρῶν λέγω*. Praeterea ex Sophocle afferendi sunt:

Ant. 1112, ubi *παρών* pronomini *αὐτός* satis graviter oppositum idem fere valet atque

quod nos dicimus »in Person«. Conferas quaeso: El. 300 *σὺν δ' ἐποτρύνει πέλας ἑ κλεινὸς αὐτῇ ταύτα νυμφίος παρών.* Ai. 1288. *ὃ δ' ἦν ὁ πράσσων ταῦτα, σὺν δ' ἐγὼ παρὼν ὁ δοῦλος.* cf. ibid. 1384. Phil. 373.

Locis adhuc prolatis inde a Trach. 896 usque ad Ant. 1112 *παρών* maiore cum gravitate atque cum certa quadam vi dictum salvo sensu omitti non potuit.

Ceteris autem locis inde ab El. 300 depromptis participium illud etsi paulo liberius dictum ad sententiam cuiusque loci intellegendam non prorsus necessarium est tamen aliquo modo suam propriam vim retinet, quae ea est ut significet: adesse vel ut sermone patrio dicere solemus: «in Person zugegen oder dabei sein» scilicet in re aliqua gerenda versari.

Magis ex abundanti additum est *παρών* in his:

Ai. 338 *ἀνὴρ ἔοικεν ἢ νοσεῖν ἢ τοῖς πάλαι νοσήμασι ξυνοῦσι λυπεῖσθαι παρών,*

quo loco Nauckius *παρών* in suspicionem vocat, attamen iniuria nam satis defenditur duobus exemplis:

Ai. 1131 *εἰ τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς θάπτειν παρών,*

ibid. 1156 *τοιαῦτ' ἄνολβον ἄνδρ' ἐνοικτίσει παρών,*

quibus locis participio *παρών* eandem neque minorem abundantiam quam Ai. 338 orationi inferri patet.

Similem vim atque *παρών* sibi vindicat *συνών* cum aliqua abundantia sermonis additum ad imaginem rei manifestius proponendam.

Vide in O. C. 1149 *ἃ γ' εἴσει κοὐκ ἐκ ταύταν ξυνών*

Ai. 267 *κοινὸς ἐν κοινοῖσι λυπεῖσθαι ξυνών.*

ibid. 273 *ἡμᾶς δὲ — — — ἡνία ξυνών.*

cf. Trach. 515. Phil. 76. Ant. 765. Ai. 700.

ibid. 855. *ξυνών* his locis significat „Das persönliche Zusammensein mit Jemandem.

Ratio ab his aliena inest eis locis, ubi *συνών* praedicati ut dicunt grammatici, vices tenet atque supplet notionem verbi finiti, quod per se nullum praebet sensum, ita ut participium his locis partem sententiae paene primariam contineat, cui generi dicendi argumento sunt haec exempla:

O. R. 457 *φανήσεται δὲ παισὶ τοῖς αὑτοῦ ξυνών ἀδελφὸς καὶ πατήρ.* El. 1359 *οὕτω πάλαι ξυνὸν μ' ἔλήθες;* significatur matrimonium O. C. 946 *ὅτῳ γάμοι ξυνόντες εὑρέθησαν ἀνόσιοι.*

O. C. 1244 *ὡς καὶ τόνδε . . ἀεὶ κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι.* Hunc locum priori participiorum classi non adscripserim, quod participium *ξυνοῦσαι* cum particula temporali *ἀεὶ* coniunctum maiorem, ut quisque videt, vim habet in sententia quam simplex *ξυνών*, quod non nisi ad ubertatem orationis ac perspicuitatem augendam verbo finito apponi solet ut exempla modo ex Sophocle petita satis nos docent.

Caput II.
De participii aoristi usu.

De praesentis participii usu cum satis disputatum esse videatur progrediamur am ad participium aoristi de quo quamquam supra, ubi de participio praesentis cum illo coniuncto locuti sumus, nonnulla verba fecimus, nunc tamen accuratius agendum erit. Ac primum quidem mihi liceat de aoristi vi ac natura in universum pauca praemonere, quo qualis sit usus participii huius temporis formae postea melius intellegatur.

§ 12. Paucis de vi atque historia aoristi praemonitis Pfuhlii, Curtii, Bernhardi aliorum virorum doctorum sententiae recensentur.

De vi atque historia aoristi amplius disseruit Hermannus Schmidt (Doctrinae temporum verbi graeci et latini expositio historica. Particula tertia et quarta. Halis Saxonum 1839. et 1842) ac sententias a viris doctis de hac temporis forma prolatas inde ab Alexandrinorum temporibus usque ad recentiorem aetatem perscrutatus est. Quod autem ad significationem aoristi attinet veteres fere omnes inde ab Apollonio Dyscolo et recentiorum plerique aoristo praeteriti vim tribuerunt. Sylburgius deinde docuit aoristum non praeteriti tantum i. e perfecti vel plusquamperfecti sed saepius etiam praesentis significationem accipere praesertim in infinitivo interdum et futuri, maxime in imperativo et subiunctivo. Quae vero, quaeso, ratio foret in ea verbi forma, quae nullo alio consilio

nisi ut aliarum formarum vicem gereret, inventa esset? Haec potius in singulis verborum formis dominatur lex ut sua cuique eaque tam certa et propria sit notio, ut etiamsi illae inter sese commutatae esse videantur, haec tamen integra et illibata semper maneat. Ex eiusmodi igitur peculari vi promiscuus eius usus explicandus neque hic usus pro vi ipsa eius accipiendus erat. Iam igitur quaestio oritur, quae tandem sit haec vis aoristi propria.

Definitionem aoristi a veteribus et plerisque recentioribus grammaticis constitutam, aoristum perfecti vel omnino praeteriti significationem praebere primus G. Curtius recte refellit[1]) atque novam omnino in temporibus explicandis rationem instituit,[2]) quam si sequimur in uno quoque verbi tempore distinguenda erunt duo quasi significationis elementa: temporis gradus et ratio, vel ut ipsius Curtii verba afferam: Zeitstufe et Zeitart vel Seinsart, ut Luebbertus magister doctissimus in scholis me docuit.

Gradus autem temporis sunt praesens, praeteritus, futurus, ut summam totius rei paucis verbis complectar, rationes durans, incidens, perfecta.

Actionem durantem, ut constat, tempora a praesenti formata significant, perfectam quae a perfecto derivantur, incidentem autem aoristi.

De praesentis ac perfecti significatione iam supra plura dicta sunt, quae tamen sit aoristi ratio nunc nobis accuratius exponendum erit. Ac primum quidem priusquam Curtii sententiam, cui accessurus sum, explicem, breviter ostendam quid vir doctissimus Pfuhl,[3]) qui nuper libellum »die Bedeutung des Aoristus« inscriptum composuit, de hac re senserit.

Optime quidem vir doctus quid proprium sit aoristi his verbis ostendit

[1]) Cfr. Curtius l. l. p. 178, ubi docet ex verbi formarum explicatione luce clarius apparere in lingua Graeca praeteriti vim non nisi augmento (cfr. etiam A. Ziekler: de causis duplicis formae aor. graeci. Vratislav. 1865 pag. 2.) indicari eamque significationem eas tantum formas quae augmento ornatae sint, accipere, scilicet indicativum imperfecti, plusquamperfecti atque aoristi. Inde autem sequitur omnes ceteras aoristi formas, quibus desit augmentum, carere significatione praeteriti. Etenim cum concedatur modos non ex praeterito, sed e themate velut omnium formarum communi fonte fluxisse, pari modo concedendum est, modos aoristi non amisisse augmentum, sed nunquam habuisse.

[2]) Georg. Curtius, griechisch. Schulgrammatik. Prag. 1870. cfr. Erläuterungen zu meiner griechisch. Schulgrammatik v. G. Curtius. p. 178 sqq.

[3]) Cfr. Programm des Vitzthumschen Gymnasiums. Dresden. 1867.

(§ 5. 1.): »Der Aorist besagt, dass die Verbalthätigkeit ohne Entwickelung gedacht werden soll« at vereor ne idem vir, ubi aoristos in duo genera dispertit, fallatur. Sic enim dicit p. 12: »Manche Handlungen dauern so kurze Zeit, dass sie im Augenblick vollzogen sind und dass hiernach eine eigentliche Entwickelung nicht stattfindet. Wir nennen dieselben momentane Verbalthätigkeiten; z. B. *βαλεῖν* einen Wurf thun. Bei andern Verbis, bei denen der Begriff der Entwickelung sich geltend macht wird die Thätigkeit von der Vorstellung unter Umständen gleichsam auf einen Punckt zusammengedrängt u. s. w. diese nennen wir concentrirte Verbalthätigkeit; z. B *ἐρωτῆσαι* »einmal das Fragen abmachen. etc.

Hic est error, quem iam Buttmannus (Griech. Gr. ed. vicesimae pag. 410) iure refutat et Curtius in libri sui grammatici explanationibus (ed. secundae pag. 180) reiecit: errorem dico in quo versatus Pfuhlius aoristi vim in eo positam esse putat quod actionem vere temporis puncto perfectam indicet. At recte Curtius l. l. monuit cavendum esse ne id quod inter *ποιεῖν* et *ποιῆσαι*, *νικᾶν* et *νικῆσαι*, *ἔβαλλε* et *ἔβαλε* intercedat discrimen virgulae quasi horologicae motione metiamur, nam et imperfecto brevissima actio significari potest, dummodo scriptor rerum progressum delineare, rem quo modo fiat eis qui legunt ante oculos ponere et quasi depingere velit, et aoristo etiam res longe durans[1]) narratur, si dicentis animus in uno actionis aut initio aut exitu significando occupatus est aut totam eius perpetuitatem uno quasi obtutu complectitur.

Non igitur eam dico actionem momentaneam cuius initium, progressus, finis uno momento, (velut in *βαλεῖν*) comprehenduntur, quae Pfuhlii est interpretatio huius nominis (§ 3 a); immo vero in eo posita esse mihi videtur vis momentanea, quod qui loquitur aoristo utens actionem aliquam in unum quasi punctum contrahit et coarctat ac singula labentis temporis momenta colligit unoque in conspectu quasi universa videt et animo sibi fingit quod Pfuhlius dicit concentrirte Verbalthätigkeit. cfr. etiam Schmidt doctrina temp. P. 4. p. 11. sq. et A. F. Bernhardius. Hic enim et in ampliore grammatica causam allaturus, cur praeteriti potissimum aoristi sit usus« praeteritum, inquit, spatium facillime cogitando contrahitur in punctum temporis« cfr. Sprachlehre p. 222. et in minore contrariam istam opinionem, quam sequuntur, qui de vera agendi celeritate cogitantes nullas statuerint res, nisi quae cito et per se ipsae temporis puncto perfici possent et re vera perfectae essent, aoristo efferri posse,

[1]) Cfr. H. Schmidt: doctrina temp. P. 4. p. 13 sq. Delff: der griech. Aor. in seinem Verhältnisse zu den übrigen Ztf. des Verbs. p. 11. 21. 22. Kühner griech. Grammatik II. 1. § 386. 4.

praecauturus, non ego contendo, inquit, illud temporis punctum per semet ipsum omnis divisionis expers esse, sed fieri in linguae usu, ut tota aliqua quae per tempus pertineat actio consideretur tamen et tractetur tamquam nil sit nisi momentum temporis[1]). Eodem modo post eum Buttmannus[2]., Rostius[3]) alii de hac re loquuti sunt.

Recte sine dubio hi; non enim, quales fuerint res per se, sed quales cogitatae a loquentibus sint, orationis formis constat exprimi. Attamen iidem in eo versantur errore, quod hoc uno totam aoristi vim quasi exhaustam esse existimant. Nam ut paulo ante indicavimus, aoristum etiam de re durante usurpari licet; praeterea, quod recte monet Curtius Erl. p. 180, actio momentanea, quam illi viri et nuper Pfuhlius aoristo exprimi censent, facile fieri potest, ut male intellegatur. Quibus causis adductus in Curtii sententiam discedam qui cum Kruegero[4]) recte statuere mihi videtur, actionem, quae aoristo significetur eam esse, quae incidat vel ut patrio sermone utar: Die eintretende Handlung. Quomodo hoc intellegendum sit Curtius Erl. p. 180. sq. paulo copiosius exposuit atque imagine a puncto et a linea desumpta illustravit. Actionem aoristi igitur dicit puncti instar obtinere, ut enim punctum nullam habere extensionem ita etiam in aoristo spatii temporis, ad quod actio quam exprimat, pertineat nullam rationem haberi neque quidquam aliud hac temporis forma indicari, nisi actionem ipsam fieri vel potius incidere. Lineam contra, quae puncto opposita sit, nullis finibus circumscriptam bene comparari posse cum praesentis actione duranti cuius finis aeque atque terminus lineae nullo modo constitutus sit.

§ 13. De aoristo ingressivo et effectivo.

Haec in universum de aoristi significatione praefatus Curtius duo genera aoristorum distinguit, quorum alterum appellat aoristum ingressivum, quem alii grammatici velut Kruegerus, griechische Sprachlehre Syntax § 53, 5 A. 1, dicunt inchoativum, alterum vocat aoristum effectivum. Ac prior quidem usus eo continetur, quod actio aoristi, quae incidit, actioni per aliquod temporis spatium permanenti opponitur, ita

[1]) Bernhardi Anfangsgründe der Sprachwissenschaft p. 156.
[2]) Gr. Gr. § 124. 5.
[3]) Gr. Gr. § 117.
[4]) K. W. Krüger griech. Syntax. » 53. 6.

ut dicentis animus in initio actionis significando occupatus sit. Sic formae ἐρασθῆναι vel ἐράσασθαι i. e. subito amore capi respondet simplex ἐρᾶν, cfr. Ai. 967 ἠράσθη τυχεῖν . . . θάνατον et Ant. 220 θανεῖν ἐρᾷ. Praesens ἐρᾶν actionem quandam durantem significat.

Maxime cernitur hic usus in eis verbis quorum praesens statum quendam quem quis tenet, indicat exempli gratia: ἐβασίλευσα i. e. wurde König, at βασιλεύω bin König. Eadem ratio valet in νοσῆσαι et νοσεῖν, ἄρξαι et ἄρχειν aliaque verba imprimis in verbis affectuum de quibus postea sermo erit, cfr. apud Homerum Il. α 92 θάρσησεν i. e. bekam Muth, ζ. 374 τάρβησεν. Od. η. γήθησεν.

Alterum genus aoristi in eo positum est, quod aoristus exprimit actionem re vera incidentem, quae ei actioni quam quis efficere demum se parat, opposita est velut si dicam πρᾶξαι i. e. bewirken, durchsetzen et πράττειν betreiben, πεῖσαι überreden, πείθειν zureden. Cfr. apud Sophoclem Phil. 900, ubi Philoctetes ex Neoptolemo hoc modo quaerit οἳ δή σε δυσχέρεια τοῦ νοσήματος ἔπεισεν ὥστε μή μ' ἄγειν, et O. C. 1442 Polynices Antigonae dicit: μὴ πεῖθ' ἃ μὴ δεῖ. Sub idem genus cadit κτᾶσθαι, κτήσασθαι.

Curtius eiusmodi aoristum non iniuria appellat «den effectiven» eumque comparat cum puncto finali, si dicere licet, in quod linea exit, quod aoristo actio durans quasi in unum punctum contrahitur itaque eius effectus animo proponitur.

In has igitur duas diversas classes Curtio duce aoristos disposuimus, utri autem classi aoristus in singulis locis adscribendus sit, utrum inchoativa an effectiva vi dicatur, haec quaestio pendet cum ex toto sententiarum conexu tum ex primaria cuiusque verbi significatione.

Ceterum quum amborum, quae inter se nunc comparavimus generum aoristi ea sit vis et natura, ut saepius utrum in scribendo auctor praeferat, ex eius arbitrio pendeat, fieri non potest quin, etsi plerisque in locis facile indicari possint causae, cur aoristus aut ingressivus aut effectivus a scriptore adhibitus sit, haud raro tamen in dubio relinquitur, cui generi hic vel ille aoristus assignandus sit neque quidquam aliud respiciatur nisi punctum temporis in quod actio aoristi incidat. Conf. Curtius, Erl. p 186.

§ 14. **Participii Aoristi usus praeteriti explicatur.**

Eis quae adhuc de aoristi vi ac natura disputavimus hoc tamen repugnare videtur, quod participium aoristi plerumque de re praeterita dicitur, nam quum omnes ceterae aoristi formae, quibus augmentum deest praeteriti significatione, ut paulo ante ostendimus, careant, facile suspicere, eandem rationem etiam in participio valere, eique nullam aliam vim subiciendam esse, quam quae stirpi aoristi vindicetur, h. e. actio incidens.

Difficultas autem inde orta cum ex natura aoristi tum ex notione participii explicari potest. Participium enim, cuius vis primaria, de qua supra amplius locuti sumus, est attributiva; «fixirt, ut Curtii ipsius verba afferam, eine Handlung in Bezug auf eine andere Handlung. Diese letztere, durch das verbum finitum bezeichnet, ist die Haupthandlung.» Iam si actio secundaria participio expressa per temporis spatium in quod actio verbi finiti incidit, permanet, eam participio praesentis exprimi constat, similiter si quis actionem illam ante alteram actionem principalem perfectam ac statum inde profectum significare velit, perfecti participio uti debet.

Is tamen orator, qui actionem secundariam omissa illa vel permanendi vel perfectionis ratione ita exprimere studet ut eam in momentum quoddam vel punctum temporis incidentem faciat, nullam aliam verbi formam nisi participium aoristi adhibere potest. Eiusmodi autem actionem ac punctum temporis, cum verbo finito omnino temporis spatium in quod incidat, definiatur, sponte referre solemus ad tempus actioni principali praecedens.

Accurate vero rem considerantibus nobis participium non magis quam ceterae aoristi formae praeteriti significationem praebere videtur, sed hanc ex participii aoristi natura atque omnino ex orationis conexu natam videmus isque usus praeteriti maxime cadit in narrationes in quibus participium aoristi potissimum ad progressum rerum, quae traduntur, indicandum et a poetis et a scriptoribus prosae orationis usurpari solet, Nonnulla huius generis exempla iam supra attulimus, ubi de participio praesentis cum participio aoristi coniuncto locuti sumus, ad haec autem si tibi placet conferas plura alia exempla, quae ex ingenti locorum, qui huc faciunt multitudine attuli. Phil. 606 *ἐξελθὼν . . . εἶλε.* (Ulixes Helenum cepit.) Ib. 268 sq. ubi Philoctetes enarrat, quomodo Atridae se in Lemnum insulam exposuerint:

προθέντες . . . . λιπόντες ᾤχονθ'.

Ant. 163 *σείσαντες . . . . ὦρθωσαν.*

El. 681 de Oreste: *ἐλθὼν . . . . εἰσῆλθε . . .*

et ibid. 686 *ἰσώσας . . . . ἐξῆλθε.*

Trach. 689 sq. ubi Deianira de veste illa pestifera, qua postea marito caedem intulit, verba facit: *ἔχρισα . . . . σπάσασα . . . . συμπτύξασ' . . .* ibid. 917 describitur furor, quo capta Deianira sibi mortem consciverit, *ἐπενθοροῦσ' ἄνω καθέζετ' . . .*

Phil. 941 *ὁμόσας . . . ἄγει. — . προθεὶς . . . . λαβὼν ἔχει.* ibid. 1215 *λιπὼν . . . . ἔβαν.*

Trach. 47 *δέλτον λιπὼν ἔστειχε.*

ib. 580 *ἔβαψα προσβαλοῦσ'* i. e. nachdem ich hinzugethan. 1155 *παίδων δὲ τοὺς μὲν συλλαβοῦσ' αὐτὴ τρέφει.* Ant. 1231 de Haemone furente *παττήνας, πτύσας* etc.

O. C. 913 Theseus Creontem vituperat:

ὅστις δίκαι' ἀσκοῦσαν εἰσελθὼν πόλιν . . . . εἶτ' ἀφεὶς τὰ τῆσδε τῆς γῆς κύρι' ἄνδ' ἐπεισπεσὼν ἄγεις, progressus rerum participiis *εἰσελθών* et *ἀφείς* indicatur, *ἐπεισπεσὼν* autem praegressum *ἀφείς*, quod generalem vim continet, accuratius definire ac describere videtur, cf. O. R. 386 *ὑπελθὼν* et *ὑφεὶς μάγον* etc.

O. C. 1302 *λαβὼν . . . συνωμότας ἔστησ'.*

et 1296 *ἐξέωσεν οὔτε νικήσας . . . οὔτε μολών, πόλιν δὲ πείσας.*

O. R. 396 ubi Oedipus declarat qua ratione aenigma a sphinge propositum solverit eamque ipsam extinxerit: *μολὼν . . . . ἔπαυσά νιν γνώμῃ κυρήσας οὐδ' ἀπ' οἰωνῶν μαθών.* Ad *μαθών* confer ibid. 544 *κἄτα κρὶν' αὐτὸς μαθών.* ibid. 704. Phil. 118. Trach. 744. alia. Ai. 268. sq. ubi sermo est de insania, qua captus Aiax in pecora Argivorum irruit: *λαβὼν ἐμαίετ' ἔγχος — κληθεὶς ἀφορμᾶς,* ibid. 294 Tecmessa de se dicit *μαθοῦσ' ἔληξ'.* deinde 301 rursus de Aiace *ὑπάξας . . . . ἀνέσπα* et 305 *κἄπειτ' ἀπάξας . . . ἔμφρον καθίσταται,* ibid. 435 *ἀριστεύσας — — ἦλθε.* et 438 *ἐπελθὼν — — ἀρκέσας . . . ἀπόλλυμαι.* Praeteriti notio etiam in his invenitur: O. C. 1352. *ἀξιωθεὶς εἶσι κἀκοίσας,* ib. 272 *παθὼν — ἀντέδρων.* cfr. Phil. 672. ibid. 1249 *ἁμαρτὼν — πειράσομαι.*

El. 53 *στέψαντες* -- — *εἶτα* -- *ἥξομεν*

multique alii loci eiusdem extant generis, quos omnes enumerare inutile mihi videtur cum in eis praeteriti significatio, quam participia aoristi praebeant, perfacile intellegatur. Praeteriti enim vis, quam participium aoristi sibi adsciscit ea est, ut participio indicetur actionem quandam non solum incidisse sed etiam prorsus praeteriisse, priusquam altera actio verbo finito expressa facta sit, quam definitionem exemplis laudatis confirmari nemo negabit. Plerumque autem quod paulo ante iam memoravimus, haec significatio participii aoristi conspicitur in enarrationibus, ubi participia vel omnino praeteritam rem, quae actionem verbi finiti antecedat, vel singula labentis temporis momenta, dico singulas diversas actiones, quae deinceps se excipiant, significant. Cfr. supra Trach. 689. O. C. 913. El. 681 sq.

---

§ 15. Discrimen quod inter participium aoristi de re praeterita dictum et participium perfecti intercedat pluribus exemplis demonstratur.

Iam vero quaeritur quod discrimen inter hunc usum participii aoristi et participium perfecti intercedat, nam viri docti nostrae aetatis eique clarissimi, quod mirandum, non cum ea diligentia, qua par erat, in hanc rem inquisiverunt. Quin etiam K. W. Krüger omnino nullam differentiam extare statuere conatur haec breviter proferens § 56. 10: »Im temporalen Verhältniss bezeichnet das Participium eine rein äusserlich der Zeit nach stattfindende Verbindung wie eben das Tempus des Particips sie andeutet: das Präsens Gleichzeitiges, der Aorist und das Perfect Vorzeitiges« etc.

Madwigius parum accurate vel potius falso dicit § 183 »dass das Particip des Aorist einer ferneren vergangenen Zeit entspreche«. Classen autem iure huic repugnat l. l. pag. 95 »Wo die Entfernung der Vergangenheit zwischen dem Participium des Aoristus und des Perfectums verglichen werden kann ist sie entschieden immer bei dem letzteren grösser;« Quod iam elucet ex locis antea prolatis ubi participia aoristi de eis potissimum rebus dicuntur, quae actionem verbi finiti proxime antecedunt, magis etiam hoc apparebit ex locis quos paulo post afferam.

Madwigii sententia reiecta Classen docet temporis spatium ad quaestionem prolatam solvendam omnino nullius momenti esse, sed discrimen quod inter participium perfecti et participium aoristi extet, latere in diversa ratione, quae inter rem

participio expressam et actionem verbi finiti intercedat. Participio enim perfecti hanc rem ita animo repraesentari ut sit perfecta atque absoluta, participio aoristi contra rem proponi, ut Classenii ipsius verbis utar, als ein Glied in einer Reihe von Ereignissen. Inde vir doctus iure efficit ad sermonem Homericum hanc valere legem, ut in narrationibus, ubi singulae rerum partes vel singula actionis momenta deinceps se excepisse tradantur, nulla nisi aoristi participia locum habeant et quidem hac ratione, ut eis semper res actionem verbi principalis antecedentes significentur, quae plerumque causas contineant, unde actio verbi finiti oriatur vel quibus quis motus ad hanc actionem conficiendam accedat. Eandem fere legem etiam in usu dicendi quem Sophocles secutus sit, valere ex locis supra allatis facile est cognitu, qua in re tamen notandum est eam legem non sine aliquo discrimine ad omnia aoristi participia pertinere, quod postea accuratius demonstrandum erit.

Quod autem ad participium perfecti attinet hoc nunquam ut participium aoristi ad progressum rerum quae narrantur indicandum adhibetur. »Niemals drückt, inquit Classen l. l. pag. 96. ein Participium perf. im Fortschritt der Erzählung einen Umstand als nunmehr eingetreten und mit einwirkender Beziehung auf den weitern Verlauf der Handlung aus.

Deinde idem vir doctus paulo copiosius exponit, participium perfecti aut attributi loco positum in adiectivi notionem paene transire, quem usum superiore disputatiunculae parte diligentius tractavimus, aut in appositione positum vel praedicativa vi indutum eam significare conditionem, quae ex actione praegressa ac perfecta nascatur atque praesenti tempore permaneat. Inde autem effici ut participia perfecti in orationis perpetuitate ubi res ordine narrentur, eandem fere vim quam participia praesentis accipiant vel certe speciem eorum induant. Neque enim actionem participio perfecti subiectam, sed potius statum inde profectum, qui ad idem tempus ad quod verbum finipertineat, in illis participiis respici. Apud Homerum, ut Classen monet, ad hunc usum ea potissimum participia revocanda sunt, quibus conditiones vel omnino res sub sensus cadentes significantur velut *βεβαώς, ἑστεώς, γεγαώς, τεθνηώς*, multa alia, quorum plura Classen excitavit; deinde huc pertinent participia, quae mentis conditiones atque animi affectus per aliquod temporis spatium permanentes exprimunt, cuius generis sunt *εἰδώς, μεμνημένος, γεγηθώς, κεχρημένος*, alia. cfr. Classen l. l.

Idem fere usus participii perfecti in Sophoclis fabulis reperitur ac satis late patet, qua in re tamen monendum est, Sophoclem in his participiis figuratam dicti-

onem, ut mos est tragicorum, ac verborum translationes magis quam Homerum[1]) adamare ac frequentare. —

Ad prius genus conferas Trach. 165 *ἀπείη χαναύσιον βεβώς*, ubi participium significat eum qui abiit itaque etiamnunc abest, cf. Phil. 280, El. 311.

Nonnunquam hoc participium tralate dicitur et ab eundi vel incedendi significatione, quae est verbi propria, sumtum est, cum versari in aliqua rerum conditione vel simpliciter esse indicet. Rationem monstrat Ant. 996 *φρόνει βεβὼς αὖ νῦν ἐπὶ ξυροῦ τύχης*.

O. C. 1359 *ἐν πόνῳ ταὐτῷ βεβηκὼς τυγχάνεις* cf. El. 1094.

Praeterea conferendum ad *ἑστώς* Ai. 87, ubi hoc participium propria consistendi potestate dictum est. Tralate non dicitur, quamquam indicativus saepius ita usurpatur de rerum statu. Cfr. O. R. 1442, Tr. 1145.

Ad *γεγώς* cfr. O. C. 571 *ὅτου πατρὸς γεγὼς . . . . ἦλθον*. ibid. 374 *μείων γεγὼς. . . . ἀποστερίσκει*, cf. El. 775. Phil. 1283.

Cum *γεγώς* bene comparare licet *πεφυκώς* O. C. 1294.

Huc quoque refero El. 715 *ἀναμεμιγμένοι*, ibi sermo est de certamine quadrigarum, quod Orestes iniit.

Ad alterum genus participiorum perfecti adumbrandum haec proferam exempla:

O. R. 119 *οὐδὲν εἶχ' εἰδὼς φράσαι*. ibid, 318 *καλῶς ἐγὼ εἰδώς . . .* cf. El. 41. O. C. 983. *εἰδυῖα*, Eadem ratione dicitur *πεπυσμένος*. Trach. 141. O. R. 513. *μεμνημένος*. Trach. 1223. cfr. O. C 1361.

γεγηθώς a *γηθέω* cuius verbi solum perfectum extat praesentis vi praeditum, cf. O. R. 368 *ἦ καὶ γεγηθὼς ταῦτ' ἀεὶ λέξειν δοκεῖς*. El. 1432 *χαρεῖ γεγηθώς*.

Phil. 1264 *τοῦ κεχρημένοι ξένοι*;

Ant. 1077 *κατηργυρωμένος λέγω*. El. 516. *ἀνιμένη — — αὖ στρέφει*.

Ai. 279 *εἰ πεπαυμένος . . . . ἢ νοσῶν ευφραίνεται*, ubi participium praesentis participio perfecti respondet, unde maxime liquet perfecti participium h. l. praesentis vim sibi adscivisse.

Praeter locos laudatos multa alia exempla ex Sophoclis fabulis peti possunt, ubi participia perfecti, quamquam haud sane omnia ad duas has classes quas modo

[1]) Homerus plerumque vim, quae verbi propria est, retinet, atque hac re maxime differt ac discedit a tragicorum dictione.

consfituimus accurate referre licet, tamen in universum similiter ut illa indicant statum, qui ex perfecta actione, quae actionem principalem antecesserit, profectus ad idem temporis spatium ad quod actio verbi finiti pertinet. Quam ob rem non opus esse mihi videtur omnes locos, ubi participia perfecti inveniuntur, hic enumerare, praesertim cum usus perfecti a viris doctis recentioris aetatis summa cum diligentia atque studio perscrutatus ac pertractatus sit.

Accedit quod Sophoclis dictio, quantum ego quidem quaesivi, ab illorum poetarum dicendi consuetudine non multum recedit. — Quae cum ita sint iam eos tantum locos, ubi participia perfecti et aoristi inter se comparari possint, proferam et quidem hoc consilio, ut diversitas quae in usu eorum extet facilius cognoscatur magisque eluceat.

Conferas igitur Ai. 511, ubi haec leguntur *εἰ νέας τροφῆς στερηθεὶς σοῦ διοίσεται μόνος . . . .* Primo aspectu putare quis possit participium aoristi *στερηθείς* h. l. idem fere valere quod *ἐστερημένος*, attamen accuratius locum inspicienti mihi aliter res se habere videtur, nam Tecmessa h. l. non tam de conditione, quae ex actione participio indicata profecta sit, cogitat, quam de actione ipsa i. e. de caede Aiacis, qua parvulus filius patre adiutore privaretur, eamque ob causam Sophocles iure posuit participium aoristi, nam hoc non nisi de actione ipsa per se spectata usurpari solet. Sin poeta ad conditionem, quae inde oriretur, lectoris animum advertere voluisset, participium perfecti velut in O. C. 857. El. 813, ubi relatio ad praesentem statum facile perspicitur, adhibuisset; quod tamen huius conditionis ibi nulla fere ratio habetur vel certe si aliqua relatio extet ea non urgetur, hoc inde facile explicari posse mihi videtur, quod summus timor, quo Tecmessa commota erat, ne Aiax sibi ipse vim inferret, non admisit, ut quid mali filio ac sibi ex caede Aiacis parari posset, diligentius animo reputaret, nam eiusmodi vis subiectiva, ut ita dicam, sententiae loci subesset, si participium perfecti usurpatum esset, quod apparet ex locis modo comparatis O. C. 857 cfr. etiam El. 960 et imprimis ibid. 813, ubi Electra de misera conditione in qua post Orestis mortem versetur loquitur lamentans, quod Oreste mortuo atque fratre et patre orbata sola superstes relicta et ut infestissimis patris percussoribus serviret, coacta sit. Verba autem haec sunt: *μόνη γάρ εἰμι, σοῦ τ' ἀπεστερημένη*. Eandem differentiam inter participium perfecti et aoristi intercedentem inveni Ant. 351, ubi participium aoristi *σωθείς* rem simpliciter factam indicat et Ai. 1129 *θεοῖς σεσωσμένος*. El. 1229. Trach. 735 aliis locis quibus participium perfecti *σεσωσμένος* non simplicem actionem, quae incidit, sed totum statum inde ortum significat, qui loquentis animo obversatur. Conferenda etiam

sunt: O. C. 873 *ἔργοις πεπονθὼς ῥήμασίν σ' ἀμύνομαι.* ibid. 953 *πεπονθὼς ἠξίουν τάδ' ἀντιδρᾶν* cum O. C. 271 *παθὼν μὲν ἀντέδρων.* ibid. 1017 *παθόντες ἔσταμεν* cfr. ibid. 1498 et Phil. 672. cfr. *ἐκβαλόντες* Phil. 1390 sq. et *ἐκβεβληκότες* Phil. 600. O. R. 368 *γεγηθώς*, quod totam animi conditionem, qua Creon utatur, significat cfr. El. 1432 *χωρεῖ γεγηθώς.* At aoristi participio *τερφθείς* O. C. 1140 ipse animi affectus i. e. gaudium indicatur, quo Oedipus subito captus sit eam ob rem, quod Theseus filias incolumes ei restituerat atque eo temporis momento, quo hoc factum erat: itaque participium illud non in universum de statu animi, quem Oedipus teneat, dictum est, sed ad certam quandam rem spectat verterim autem ita: von Freude ergriffen (nämlich über die Rückkehr deiner Töchter), *γεγηθώς* contra: in freudiger Stimmung, quod generalem quandam vim exhibet. — Eadem fere ratio valet Trach. 24 *ἥμην ἐκπεπληγμένη φόβῳ* et El. 1045 *ποιήσω γ' οὐδὲν ἐκπλαγεῖσά σε* i. e. territa vel opstupefacta, hoc ad ipsum terrorem in quem Electra incidit et ad tempus quo is Electrae iniectus est, referendum, at perfecti participium eum animi statum significat in quo postquam terror ei iniectus est, Deianira versabatur ac permanebat cf. Trach. 386. Ant. 453.

Denique conferre mihi liceat locum ex Antigona 407 sq., ubi in oratione quam custos habet participia perfecti et aoristi inter se coniunguntur seseque excipiunt, unde utriusque natura mihi maxime dilucida ac perspicua fieri videtur; participiis enim perfecti, quae vis est eorum propria, omnino conditio ex actione praegressa nata describitur, qua custodes eo tempore utebantur, quo ad Polynicis corpus accedebant idque in custodia habebant: *ἥκομεν — — ἐκπεπληγμένοι* scilicet a Creonte, ac deinde 411 *καθήμεθ' . . . πεφευγότες*, participiis autem aoristi actiones simpliciter tantum incidentes significantur ac progressus rerum quae custodes agerent, indicatur, cum pulverem abstersisse a corpore Polynicis idque ipsum putredine madens nudasse dicantur: *κόνιν σήραντες . . . μυδῶν τε σῶμα γυμνώσαντες εὖ.* —

Eis quae adhuc de participio aoristi ac de discrimine quod intercedat ei cum participio perfecti, diximus, hoc addendum esse mihi videtur, participia aoristi quae a me laudata sint, pleraque in numerum eorum aoristorum referenda esse quos Curtius vocat: «effective Aoriste,» nam eis fere omnibus res, quae et re vera incidit et ad finem perducta est, exprimitur. Neque hoc mirandum cum adhuc de praeteriti tantum usu qui inest in participio aoristi, locuti sumus; hoc vero in usu cur res participio aoristi expressa plerumque ita animo proponatur, ut re vera ea incidisse et ad finem perducta esse dicatur, priusquam actio verbi finiti inciderit, non dubium esse potest quum perfacile hoc intellegatur ex singularum sententiarum conexu.

§ 16. Pertractatur atque examinatur is usus ubi participium aoristi ad praesens accedere videtur et temporis aequalitatem significat.

De praeteriti significatione, qua participium aoristi maxime in narrationibus rerum gestarum praeditum sit, ac de discrimine quod inter hoc participium et perfecti intercedat, satis disputasse mihi videor, qua de causa iam ad alium usum participii aoristi aggrediar. Neque enim solum res praeterita, quae ante actionem verbi finiti ad finem perducta est, vel factum historicum, si ita dicere licet, participio aoristi simpliciter exprimi solet, sed saepius etiam eo transitus significatur ex altero in alterum statum, qua in re eum statum in quem quid transierit, per aliquod temporis spatium permansurum esse opus est cogitare, velut cum in verbo finito per aoristum dicitur: *ἐβασίλευσε, ἦρξε* i. e imperium iniit ac deinde obtinuit, cfr. *ἐπίστευσα* similia.

1. Participia aoristi, quae aliam actionem atque verbum finitum significant. Huc pertinent:

a) Participia verborum affectuum ac similium pleraque causali vi praedita.

Eadem fere ratione qua aoristi modo prolati etiam participia aoristi a verbis affectuum formata explicanda erunt. Etenim in eis imprimis verbis, quae animi statum vel motum significant nos permansionem ac perseverantiam actionis, Graeci initium actionis respiciunt. Quare saepissime in verbis timorem aut iram aut misericordiam aut aliam animi conditionem significantibus aoristi participium reperitur, ubi nos praesens ponimus, quamquam hac versione vim participii aoristi non prorsus a nobis reddi sine dubio nobis concedendum erit. Atque Classen l. l. pag. 115 ad plura exempla, quae ad hunc dicendi usum probandum ex Homero deprompsit, recte haec adnotat: »Wollte man sich in der Uebertragung der Participia *δείσας ταρβήσας* etc. auch im Deutschen mit einem einfachen Participium (praesentis) . . . . begnügen, ... so giebt man nur die eine Seite des griechischen Wortes, nicht aber die lebendige Wirkung des Aoristus wieder der den Eintritt und die unmittelbare Wirkung des Affects uns vor Augen führt» confer Il. E. 297 sq.

Αἰνείας δ' ἀπόρουσε σὺν ἀσπίδι δουρί τε μακρῷ | δείσας μή πώς οἱ ἐρυσαίατο νεκρὸν Ἀχαιοί.
E. 286 *τὸν δ' οὐ ταρβήσας προσέφη κρατερὸς Διομήδης:*
Exempla apud Sophoclem fere haec sunt:

Aoristi activi participia: *δείσαντες ἐκπλαγῆτ'* Phil. 226. Ai. 315 *δείσασα τοὐξειργασ πλέον ἔλεξα* . . . cfr. O. C. 265. Ai. 1110. O. R. 234. Ant. 459. ib. 1005. 1189. Phil. 757 *μή με ταρβήσας προδῷς* Ant. 1042 *οὐδ' ὡς μίασμα τοῦτο μὴ τρέσας . . . θάπτειν. παρήσω.* cfr. O. C. 1419 *στράτευμ' ἄγοιμι . . . . εἰσάπαξ τρέσας*[1]) sunt verba Polynicis. Sensum loci hunc esse Hermannus recte monuit: Quomodo enim uno nisu (auf ein Mal) fugiens (proprie timens) sic repente reducam hunc eundem exercitum. Spectant verba haud dubie ad ea quae proxime antecedunt v. 1416 sq. *στρέψω στράτευμ' ἐς Ἄργος.* Quam ob rem ferri non posse mihi videtur quod vulgo interpretantur: Quomodo enim iterum eundem exercitum contra Thebas ducere possim si semel fugerim? —

Praeterea confer O. R. 1178 *κατοικτίσας.* Phil. 227 *οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον . . φονήσατ'.* O. C. 556 *οἰκτίσας θέλω ἐπέρεσθαι* quocum conferendum Trach. 1034 *οἰκτείρας* et Phil. 309 *προὐδόσαν οἰκτείραντες.* cfr. El. 1200 *ἐποικτείρας.* —

Quod ad discrimen attinet quod inter participia *οἰκτίσας* et *οἰκτείρας* haud dubie intercedit, hoc modo ea inter se differe putaverim, ut prius inchoativa quae dicitur significatione instructum eum qui miscricordia demum capiatur, alterum effectivum[2]) quem dicunt aoristum eum qui miscricordia iam captus eaque quasi impletus sit, significet, quam interpretationem rectam esse ex conexu sententiarum singulis locis subiectarum satis perspicuum esse mihi videtur. Nam si conferas exempli gratia Phil. 227 et 309 videbis Philoctetam priore loco, ubi Neoptolemum eiusque comites roget ut se commiserantes i. e. misericordia tandem capti, alloquantur, uti voce *οἰκτίσαντες*, altero autem loco, quo de eis qui misericordia iam capti atque commoti cibi aliquid sibi dederint, verba faciat, iure dicere *οἰκτείραντες. οἰκτίσαντες* igitur patet magis ad initium, *οἰκτείραντες* ad effectum ut ita dicam actionis commiserandi spectare, eo tamen haec participia convenire quod non rem ante actionem verbi finiti prorsus finitam significant, sed transitum, ut supra monui, in novum quendam statum indicant qui talis cogitari debet, ut per id temporis spatium, quo altera illa actio conficiatur, permaneat, quod si non fieret ac satus sive effectus animi, quo, qui aliquid egerit, usus esse diceretur, prorsus evanesceret eo

[1]) Cfr. Wunder ad h. l. ed, tert. v. 1413 sq.

[2]) Cfr. Phil. 59 *ἐχθήρας* quod eandam aoristi vim praebere mihi videtur.

tempore, quo ad ipsam illam rem accederet, facile fieri posset, ut is actionem illam alteram omnino non perficeret. Quare res certe ita informanda est, si simpliciter eam consideremus, ut actio participio aoristi expressa eo tempore quo altera actio incidat permaneat, utque participialis actio cum hac actione coniuncta sit eamque quasi comitari videatur. Confirmatur haec sententia etiam exemplis modo allatis, nam peregrini illi de quibus Phil. 309 sermo est, Philoctetae certe nihil cibi praebuissent, si nullam dum misericordiam habuissent eo tempore cum darent; neque Tecmessa (Ai. 315) Aiaci ignominiosam istam pecorum caedem patefecisset, nisi minas quibus ille adversus eam usus erat, cum eam aperire nollet, timuisset. Eadem ratio valet ad ceteros locos, continetur enim participiis aoristi a verbis affectuum formatis plerumque causa, qua quis motus aliquid fecerit, eaque ipsa causa viget ac permanet in actione verbo finito subiecta.

Conferas quaeso O. C. 1624, ubi participium *δείσαντας* cum causam indicet, cur alterum *ὀρθίας στῆσαι . . . τρίχας* fiat tum rem significet, quae per id tempus, ubi altera res (*στῆσαι*) fiat, permanere debeat, cum hoc illo contineatur vel alterum alterum quasi designet, nam illud *στῆσαι — τρίχας* timoris signum praebet. —

Alia participia verborum affectuum, quae huc pertinent, haec inveni:

Phil. 368. *καταλγήσας λέγω.*

El. 570 *κἀκ τοῖδε μηνίσασα Λητόα κοὐρη κατεῖχ' Ἀχαιούς.* cfr. Trach 274. Ant. 1177.

Praeterea huc referam Ant. 1031 *εἰ σοι φρονήσας εὖ λέγω.* cfr. O. R. 650. *πιθοῦ θελήσας φρονήσας.* Ai. 206 sq. *Αἴας . . . κεῖται . . . νοσήσας*, quod de amentia intellegendum. ibid. 212 *στέρξας ἀνέχει* de Aiacis in Tecmessam amore dictum.

O. C. 1273 *ἀτιμάσας πέμψεις.* O. C. 175 *πιστεύσας.* cf. Phil. 1374 *πιστεύσαντα . . . ἐκπλεῖν.*

Iam sequuntur aoristi passivi participia:

Phil. 374 *χολωθεὶς . . ἤρασσον.* Ant. 1235. Similiter O. R. 781 legitur *βαρυνθεὶς μόλις κατέσχον*

cf. Ai. 41 *χόλῳ βαρυνθείς* (ἦξεν.)

Phil. 378 *δηχθεὶς ἠμείψατο* i. e. dolore vexatus respondit.

O. C. 1140 *τερφθείς.* El. 1100 *βουληθεὶς πάρει*

O. C. 1030 *μίμνε πιστωθεὶς . .* quasi fidem adactus id est certus, confisus, O. C. 636. *σεβισθείς* (iura hospitalia) reverens. O. R. 646 *πίστευσον . . ὅρκον αἰδεσθείς*, ubi passivi participinm medii significatione dictum est, ut paulo ante *βουληθεὶς* ac *σεβισθείς.*

Huc quoque referam El. 974 *προσβαλεῖς πεισθεῖσ' ἐμοί.*

O. C. 756 *πειθεὶς ἐμοὶ κρύψον θελήσας.*

h. l. alteram participium *θελήσας* non ut prius verbo finito, sed participio *πειθεὶς* subiunctum est, quo repentina ad obsequendum animi conversio significatur, cum praesens si h. l. extaret lentam persuasionis ad parendum moventis vim contineret.

b) Participia ab aliis verbis velut dicendi ac videndi formata nihil nisi rem cum actione verbi finiti coniunctam significantia.

Praeter participia affectum quendam animi vel omnino animi sententiam significantia etiam alia participia aoristi ab aliis verbis formata eandem fere rationem habent cum verbo finito quam illis inesse modo cognovimus. Differunt autem participia quae nunc allaturus sum eo a prioribus quod non ut illa causam vel animi sententiam qua homines ad rem verbo finito expressam conficiendam impellantur, significant, sed nihil nisi rem proferunt cum actione principali simpliciter coniunctam. Cuius generis sunt participia a verbis derivata, quae ad vocem hominum significandam adhibeantur vel loquendi vel clamandi vel lamantandi vel increpandi vel similem notionem exhibentia. Quem usum probaverim his exemplis:

Trach 923, ubi sermo est de caede quam Deianira sibi ipsa paraverit *τοσαῦτα φωνήσασα λύει* (praes. historicum) *τὸν αὐτῆς πέπλον* etc.

El. 712 sq. *ἵπποις ὁμοκλήσαντες* i. e. acclamantes (cum incitandi significatione dictum) *ἡνίας . . ἔσεισαν.* ibid. 737 *κέλαδον ἐνσείσας . . πώλοις διώκει.*

O. R. 1260 de Oedipo: *δεινὸν δ'ἄὐσας* magna voce clamans *πύλας ἐνήλατο.*

O, C. 1598 *ἀὐσας παῖδας ἠνύσει,* ubi participium et verbum finitum ad unam eandemque actionem scilicet iubendi spectant, verbum enim principale generalem habet vim, participium autem, quod Classen l. l. pag. 117 recte adnotat, ut ipsius verbis utar, «hebt die Anstrengung der Stimme hervor, die dem in Worte gefassten Rufe, hier Befehle, vorausgeht» vel potius mit der der (Ruf) Befehl vollzogen wird, ut equidem libentius explicem, ita ut forma actionis verbi finiti ut Rieckher[1]) interpretatur vel modus agendi accuratius definiatur, de qua modali si ita dicere licet significatione participii aoristi paulo post uberius dicendum erit. Conferendum cum loco ex Sophocle petito quod apud Homerum saepius legitur *κέκλετο μακρὸν ἀὐσας* Il. 4, 508 6, 66 etc. Simile etiam est, quod occurrit Ant. 1210 et 1227, ubi de Creonte dicitur: *ἀνακωκύσας καλεῖ.*

[1]) Dr. Rieckher: Wissenschaftliche Abhandlung über das Participium des griechischen Aorists (zweite Hälfte) pag. 4 Gymnasial-Programm. Heilbronn. 1853.

Ad priora tamen exempla referenda suut verba, quae v. 1226 proxime antecedunt: *ὀμώξας ἔσω χορεῖ* et O. R. 1265, Ant. 1302 sq.

Deinde huc refero Phil. 367 *διακρύσας εὐθὺς ἐξανίσαμαι* i. e. in Thränen ausbrechend erhebe ich mich, cfr. quod Classen l. l. pag. 115 bene monet de hoc participio.

Eodem fere sensu dicitur Trach 919 *διακρύσιον ῥήξασα . . . ῥάματα ἔλεξεν* de rums. quasi aperiendo lacrimarum fonte.

Tum huic generi participiorum adscribam nonnulla verba cernendi imprimis adspiciendi notione praedita: sic invenitur *ἐσιδών* oculis aliquo coniectis adspiciens: Ant. 128 et Trach 576 *εἰσιδὼν στέρξαι γυναῖκα,* adspiciendo enim potius quam conspiciendo amor gignitur; contra de eo qui ira commotus oculos in aliquem convertit: Ai. 1152 *εἰσιδών . . . εἶπε.* Eodem modo usurpatur *προσβλέψας* velut Trach. 796 cum *καλεῖ* coniunctum, ibid. 464, ubi Deianira confitetur se cum Iolen adspiceret misericordia captam esse *ὄρθιον δὴ μάλιστα προσβλέψασα.* Quocum conferendum quod legitur Ai. 345 *αὐδῶ κἀγ' ἐμοὶ βλέψας λέξον;* tralate dictum *βλέψας* praesidii vel auxilii exspectandi significationem adsciscit: El. 888 *ἐς τί μοι βλέψασα θέλπει,* cfr. ibid. 958 sq. et 995 *ποτ' ἐμβλέψασα.*

Alia exempla, ubi ut in locis modo allatis actiones participio aoristi ac verbo finito expressae inter se coniunctae sunt et in idem fere tempus incidunt, haec repperi: Ai. 750 *Κάλχας . . . ἐς χεῖρα Τεύκρου φιλοφρόνως θεὶς εἶπε* quibus verbis tota conditio Calchantis cum Teucro sermonem conferentis describitur. Cui simile est, quod legimus:

Phil. 1398 *ἃ δ' ἡμεσάς μοι δεξιᾶς ἐμῆς θιγών* et O. R. 760 *ἐξικέτευσε τῆς ἐμῆς χειρὸς θιγών,* ubi *θιγών* de supplice dictum.

Differunt haec tria exempla a prioribus eo, quod participia hic non ut illis locis plerisque aoristum ingressivum sed effectivum exhibeant, nam significatur eis actio re vera incidens, quae uno temporis momento ad finem perducta est, quae tamen significatio, quod quis fortasse opinetur, nos non cogit, ut statuamus in eis actionem participialem actioni principali antecessisse atque absolutam esse, quoniam eiusmodi praeteriti vis aoristi uon propria est, sed ibi demum valet, ubi conexus rerum eam postulat. Atqui hoc in tres illos locos non necessario cadit, sed sententiae locis modo laudatis bene ita constitui possunt ut putemus actiones participii et verbi finiti in idem tempus incidisse, etenim nos quoque eodem temqore, ubi aliquem alloquimur vel aliquid ab aliquo precamur, dextras ei iungere solemus. Locis modo memoratis comparandi sunt ad sensum:

O. R. 1510 *ξέννεσον σῇ ψαύσας χερί.*

O. C. 1639 *ψαύσας ἁμαυρᾶς χερὸν ὧν παίδων λέγει,* quibus locis participia aoristi non effectivam sed potius inchoativam vim habent, ratio autem quam cum verbo finito habent eadem est, nam significatur eis actio vel res quae cum verbi principalis actione coniuncta in idem tempus incidit, quod imprimis in eos locos cadere, in quibus verbum finitum in eodem quo participium, tempore positum sit[1]) facile concedet, qui inspiciat exempla a me laudata ac respiciat legem grammaticam, qua constitutum est, ut temporis spatium in quod actio participialis incidat verbi finiti temporis forma indicetur vel circumscribatur

Huc quoque pertinet et cum O. C. 1639 comparandum quod ib. 1611 dicitur de manibus amplexu quasi circumplicatis *πτύξας ἐπ' αὐταῖς χεῖρας εἶπεν.*

ibid. 1607 de Oedipi filiis *ἐς δὲ γούνατα πατρὸς πεσοῦσα ἔκλαον* quocum conferendus versus 1620 sq. *ἐπ' ἀλλήλοισιν ἀμφικείμενοι . . ἔκλαον πάντες* quibus verbis status describitur, qui quomodo ortus sit priore loco indicatur, ibi enim poeta participio aoristi usus filias Oedipi in hunc statum transisse narrat.

El. 905, ubi Chrysothemis cincinnum Orestis in patris tumulo inventum gestans dicit: *χερὸς βαστάσασα δυσφημῶ μὲν οὐ.* Denique huc accedunt hi loci:

El 738 *καζισώσαντε ζυγὰ ἠλαυνέτην* de Oreste et Atheniense certantibus dictum; h. l. dubitari nequit quin actiones participii ac verbi finiti ad idem tempus pertineant, cum non solum postquam equos aequaverant, sed etiam eo tempore quo hoc faciebant cursu properarent, nam non nisi properando equos aequare poterant aurigae.

El. 1396 sq. *Ἑρμῆς σφ'* (Orestem) *ἐπάγει δόλον κρύφας.*

ibid. 980 *ψυχὴν ἀφειδήσαντε προνοίᾳ φόνου*[2]) i. e. vitam nihili facientes caedem administrarunt, quocum quodammodo contendi potest Ai. 1133 *σοὶ Αἴας πολέμου προύστη.* Praeterea confer El. 809 *ἀποσπάσας . . οἴχει,* ubi Electra lamentatur, quod Orestes eo quod morte abierit omnem spem salutis sibi ademerit; notio principalis latet in participio, actio autem huic subiecta certe in idem tempus in quod actio verbi finiti incidit, cum prior illa actio altera contineatur. Quocum comparare licet quod legitur in eadem ab. 1156: *πάντα γὰρ συναρπάσας . . βέβηκας,* Oreste perempto dicit Electra totam exstinctam esse domum. Ratio, quae participio cum verbo finito intercedit, eadem est, significatur enim res quae cum actione principali coniuncta atque in ea posita est. cf. ibid. 1006 *βάξιν καλὴν λαβόντε . . θανεῖν.*

[1]) Aken (Grundz. der Lehre vom Tempus und Modus S. 8) rem ita explicat: Die Coincidenz zweier Punkte.

[2]) Cfr. Schneidew ad. h. l.

Ant. 653, ubi Creon Haemonem rogat, ut Antigonam abominetur *πτύσας ὡσεί τε δυσμενῆ μέθες.*

Ant. 199 sq. ubi Antigona ab Oedipo petit, ut gressum suum sibi accommodet *βάσει βάσιν ἁρμόσαι . . σῶμα σὸν προκλίνας.* Ai. 309 sq. de Aiace: *ἔζετ' . . . κόμην ἀτρὶξ συλλαβών.* Ai. 483 *δὸς ἀνδράσιν φίλοις γνώμης κρατῆσαι τάσδε φροντίδας μεθείς.*

Cfr. El. 872 *τὸ κόσμιον μεθεῖσα — — μολεῖν* i. e. neglecto decore venire. Trach. 939 *παρεὶς* (de corpore applicato) *ἔκειτο* et. El. 819.[1]) O. C. 1384 *σὺ δ' ἔρρ' . . . τάσδε συλλαβὼν ἀρᾶς* i. e. his te diris comitantibus, ut Wunderus recte vertit.

Restant pauca participia aoristi passivi:

O. C. 1374 *αἵματι πεσεῖ μιανθείς.* Ant. 148 *ἦλθε Νίκα ἀντιχαρεῖσα*[2]) delectata. O. R. 779 *ὑπερπλησθεὶς καλεῖ.*

Haec sunt, quae dixerim de eis participiis aoristi quae rem cum actione verbi finiti coniunctam vel ut vernacula lingua utar, einen die Haupthandlung begleitenden Umstand significent. Atque ex eis, quae supra de hoc dicendi genere uberius exposuimus, satis manifestum est actionem participialem ad idem tempus, qno actio verbi finiti fiat, pertinere, etiam si negari non potest in locis huc usque laudatis initium actionis participii plerumque eo temporis puncto, quod alteram actionem paulo antecedat, fieri, quod maxime in verba affectuum atque in verba dicendi ac videndi similia cadere supra demonstratum est.

Ceteris autem locis inde a pag. 70 sq. a nobis prolatis nihil nos impedit quominus putemus actiones participii ac verbi finiti plane in idem tempus incidere, praesertim cum sciamus aoristum per se nullam praeteriti vim sibi vindicare, sed nihil nisi actionem incidentem significare, cuius in universum temporis spatium verbo finito circumscribatur. Deinde hoc quoque nos movet, ut rem ita accipiamus, quod si hoc faciamus imago verbis subiecta multo illustrior atque expressior evadit. Omnis autem dubitatio, quae de hac participii aoristi cum verbo finito ratione (quam grammatici dicunt die Gleichzeitigkeit mit der Haupthandluug) moveri possit, tolli mihi videtur his potissimum locis, de quibus paulo ante plura dixi: O. C. 1607. El. 905.

[1]) Cfr. Ellendt l l. qui locum ex Electra petitum recte sic interpretatus est: Ante ianuam proiectam sic statim vitam se deponere velle dicit (Electra). Falso Wunderus *παρεὶς* explicavit: negligens (me ipsam), nam haud dubie participium cum *πρὸς πύλῃ* iungendum, ut de conditione Electrae sub oculos cadente intellegatur.

[2]) Nescio cur Nauckius hoc participium pro suspecto habeat, cum optime huic loco conveniat.

738. 980. 1396. 809. 1150. etc. Quibus locis si quis participio aoristi vim praeteriti tribueret, vel sensum turbaret vel omnino nullum sensum efficeret, quod quisque qui paulo diligentius eos inspexerit, facile concedet. Contra si statuamus actiones participii ac verbi finiti l. l. ad idem tempus pertinere patet bonum effici sensum atque omnia bene se habere.

2. Participia aoristi quae eandem quam verbum finitum actionem exprimunt vel certe ad eandem rem pertinent, quae verbo finito indicatur.

Magis etiam confirmatur haec nostra sententia aliis locis, quibus eadem fere temporis ratio inter participium aoristi et verbi finiti, qnam in locis modo memoratis agnovimus, reperitur, qui tamen a prioribus eam ob rem discernendi sunt, quod in eis non, ut in illis, verbum finitum ac participium diversas res exprimunt sed unam eandemque actionem significant vel certe ad eandem rem pertinent, unde iam satis perspicuum fit res participio ac verbo expressas ad idem tempus referendas esse.

Ratio autem qua his duabus verbi formis eadem res vel actio significatur varia esse potest. Ac primum quidem ad hunc dicendi usum ei loci spectare mihi videntur, ubi qua in re actio verbi finiti maxime posita sit[1]) vel qua via ac ratione ea conficiatur participium indicat, quod plerumque ita fieri solet, ut generalem notionem verbi accuratius definiat, atque illud momentum actionis principalis, quo summa eius contineatur, maxime efferat. In participiis autem quae huc faciunt vis vel instrumentalis vel modalis, ut grammatici dicunt, invenitur, quarum altera in eo cernitur, quod rem qua actio verbi finiti efficiatur, indicat, altera eo continetur, quod modum vel rationem qua illa actio conficiatur, significat; utra tamen vis uni cuique participio subiecta sit, non semper accurate definiri potest, sed saepius unicuique licet ex suo arbitrio participio vel instrumentalem vel modalem vim attribuere. Atque ego quoque iam singulos locos, qui ad hoc dicendi genus pertinent, in has duas classes distribuere conabor, qua in re si fortasse in errorem incidam, a legentibus veniam peto.

Ac primum quidem ea exempla enumerabo, ubi participium aoristi instrumentalem significationem habere mihi videtur.

[1]) Cfr. Rieckher l. l. p. 2, ubi plura huius generis exempla profert.

a) Participia aoristi instrumentali vi praedita.

Aoristi activi participia haec inveni apud Sophoclem:

Ant. 421 *μύσαντες δ' εἴχομεν θεῖαν νόσον*; hoc dicit: clausis oculis tolerabamus divinitus immissum malum. Instrumentalem vim h. l. participio insitam esse certe nemo est, qui neget. Neque minus perspicuum est res verbo finito ac participio expressas et ad eandem actionem referendas esse et ad idem tempus pertinere cum altera altera contineatur; nam custodes, de quibus l. l. sermo est malum non tolerassent nisi oculos clausissent. Participium aoristi autem *μύσαντες* non praesens quod fortasse aliquis hic expectet, apte ac suo iure h. l. positum est, quod actio prolata ut plerumque fit in aoristis uno quasi temporis momento perficitur vel ut Curtii verbis utar «auf einen Schlag vollzogen wird.» Effectus autem huius actionis ut ita dicam permanet per temporis spatium ad quod actio verbi finiti pertinet.

Confer Ai. 41 ubi Minerva dicit se prohibere Aiacem ne voluptatem occidendorum Atridorum expleat: *σφ' ἀπείργω δυσφόρους ἐπ' ὄμμασι γνώμας βαλοῦσα* etc. quocum compares: ibid. 452 *ἔσφηλεν ἐμβαλοῦσα λυσσώδη νόσον.*

Phil. 931 *ἀπεστέρηκας τὸν βίον τὰ τόξ' ἑλών.* ibid. 1283 *τὸν βίον λαβὼν ἀπεστέρηκας*, cfr. El. 949 ubi eadem fere verba occurrunt. Phil. 1303 *λαβοῦσα ἐκτησάμην*

Ant. 50. *ἀπώλετο . . ὄψεις ἀράξας*, indicatur h. l. ratio qua Oedipus perierit. ibid. 171 *ὤλοντο* (Eteocles et Polynices) *παίσαντές τε καὶ πληγέντες*; eodem temporis puncto quo fratres letalem ut ita dicam ictum sibi illiserunt, perierunt.

El. 808 *Ὀρέστα . . ὡς μ' ἀπώλεσας θανών*, cui similes sunt: Ant. 871, Ai. 1027. Trach. 1163, ubi tamen instrumentalis significatio minus urgetur quam omnino conditionis notio quae semper inest participio, notatur ac premitur.

Instrumentalis vis autem rursus aperta est: Ant. 464 *κατθανὼν κέρδος φέρει.* ibid. 906 *πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο.* cfr. Phil 1002 *κρᾶτ' ἐμὸν . . . αἱμάξω πεσών.* O. R. 1196 *τοξεύσας ἐκράτησε . . .* quasi felici iactu potitus est felicitate. ibid. 1432 *ἐλπίδος μ' ἀπεσπάσας*[1]) — *ἐλθών.* ibid. 397 sq. *ἔπαυσά νιν γνώμῃ κυρήσας* i. e. felici coniectura. Trach. 619 *χάρις ξυνελθοῦσ' . . διπλῆ φανῇ.* Ai. 655 *λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ μῆνιν . . . ἐξαλύξωμαι θεᾶς.* Ant. 160 sq. *γερόντων προὐθετο λέσχην . . . πέμψας.* Ant. 1314 quaerit Creon qua ratione Eurydice vitam suam solverit: *ποίῳ δὲ κἀπελύσατ' ἐν φοναῖς τρόπῳ* ac respondet *ἐξάγγελος* v. 1315: *παισαῦ ὑφ' ἥπαρ* etc.

[1]) Cfr. Wunder ad. h. l. ed. sua 1398.

O. C. 703 *τό (φύλλον ἐλαίας) . . ἁλιώσει χερὶ πέρσας*[1]) Sermo ad sacram oleam spectat, quae a Persis combusta revixisse fertur, secundum Herod. 8, 55. Ai. 215 *μανίᾳ ἁλοὺς . . . ἵας ἀπελωβήθη . . .* eo quod insania correptus est, dehonestatus est. Ant. 853, ubi Antigona a. Choro vituperatur, quod Iustitiam violaverit: *προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους ἐς Αἶκας βάθρον προσέπεσες.* Ai. 1083 *ταύτην τὴν πόλιν . . . ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν*, locutio a cursu navis ad eventum et sortem civitatis traducta. Phil. 1007 *οἵς μ' ἐθηράσω λαβὼν πρόβλημα* etc.

Aoristi passivi participium reperitur:

Ant, 134 *ἀντιτύπᾳ δ' ἔπι γᾷ πέσε τανταλωθείς.* Ita dicitur Capaneus h. l: decidisse, ut a terra in quam deciderit, repercussus sit. ibid. 818 *πληγεῖσα . . . καταβήσει.* Trach. 1056 *διέφθαρμαι δέμας . . . τῇδε χειρωθεὶς πέδῳ*, lamentatur Hercules h. l. de pernicie veste illa pestifera sibi parata. O. R. 523 *ἦλθε . . τοὔνειδος ὀργῇ βιασθέν.* —

Hos igitur locos si spectamus, eis fere omnibus probari videmus, quod paulo ante indicavimus generalem quandam notionem verbo finito inhaerentem participio aoristi accuratius definiri ac determinari atque eo id potissimum momentum actionis principalis significari in quo summa eius posita sit. Conferendi sunt in hanc rem imprimis l. l. Ai. 51. 452. Phil. 931. 1283.

b) Partipia aoristi modali vi praedita

Eadem fere ratio conspicitur in eis locis ubi participium non tam instrumentalem quam modalem vim prae se ferre mihi videtur velut in El, 297 *ἥτις* (Electra) *ἐκ χερῶν κλέψασ' Ὀρέστην τῶν ἐμῶν ὑπεξέθου*, ubi modus quo Electra Orestam fratrem Clytaemnestrae demserit, participio *κλέψασ'* indicatur.

Cfr. O. C. 1008, ubi Oedipus Creonti opprobrio vertit: *σὺ κλέψας τὸν ἱκέτην γέροντ' ἐμὲ ἐχειροῦ* de voluntate vel conatu dictum; generalis notio subigendi quae subest verbo *ἐχειροῦ* accuratius definitur participio *κλέψας.*

Ai. 639 sq. *κρύψω τόδ' ἔγχος τοὐμόν . . . γαίας ὀρύξας ἔνθα μή τις ὄψεται.* Participium *ὀρύξας* indicat rationem, qua Aiax gladium suum, quo pecudum caedem patraverat, condiderit. Enses enim e ferro conflatos quum penitus abolere non possent veteres homines et tamen res piaculo inquinatas ne solis quidem lumini patefaciendas putarent, ideo in viscera terrae condidisse videntur. cfr. Apollonii. IV. 696, ubi

[1]) Cfr. Wunder ad. h. l.

Isaon dicitur: *μέγα φάσγανον ἐν χθονὶ πήξας.* cfr. Ai. 821 *ἔπηξα δ' αὐτὸν (τὸν σφαγέα* gladium) *εὖ περιστείλας ἐγώ.* Scholiasta *περιστείλας* explicat *εὐτρεπίσας, διαχειρισάμενος, περισφίγξας ἐν τῇ γῇ.* Extremam interpretationem verisimillimam puto, ita ut participio *περιστείγας* significetur: ita terrae infigere gladium, ut firmissime inhaereat.

El. 732 *ἀνακωχεύει παρὲξ κλύδων' ἕφιππον* etc. i. e inhibet equos (Atheniensis) procellam equestrem praetervehi sinens: *ἀνακωχεύειν* verbum a navigatione ad cursum quadrigarum translatum idem fere valet quod *κατέχειν* cfr. Schol. ad h. l. et in latino sermone verti licet inhibere; *παρείς* autem significat: praetervehi sinens: si igitur verbum ac participium per se spectamus res inter se diversas significant; attamen h. l. haec res ita arcte inter se coniunctae sunt ut quasi unam actionem vel imaginem efficiant, cum altera altera contineatur, nam eo tempore quo Atheniensis turbam istam praetervehi sinit etiam equos inhibere debet et rursus contra. —

Plane eadem actio participio ac verbo significatur: O. C. 363 *παρεῖσ' ἐάσω* i. e. tacebo, omitto memorare, est formula loquendi, quae apud Euripidem saepius occurrit. Praeterea huc refero ex Sophocle:

Trach. 1115 *παρέσχες ἀντιφωνῆσαι σιγὴν παραιχών*[1])

El. 776 *μιστῶν ἀποστὰς καὶ τροφῆς ἐμῆς φυγὰς ἀπεξενοῦτο*, ubi copia verborum admiranda est, nam *ἀποστὰς* et *ἀπεξενοῦτο* ad eandem rem spectant i. e. Orestis exsilium, verba tantum modo variantur.

Ant. 100 *ἀκτὶς ἀελίου . . . ἐφάνθης . . . ὑπὲρ ῥεέθρων μολοῦσα*, deinde versu 108 additur participium, quod ut participia de quibus supra disputavi, rem indicat, quae ad actionem principalem accedit eamque quasi comitatur *φυγάδα . . . . κυήσασα χαλινῷ.*

O. R. 473 *ἐλαμψε . . . φανεῖσα φάος* eandem h. l. actionem verbo ac participio significari quisque videt; inest autem verbis figurata dictio, quae eo continetur, quod vaticinium cum igne comparatur in cacumine montis per loca circumsita procul conspecto.

ibid. 423 *ὃν (ὑμέναιον) δόμοις ἄνορμον εἰσέπλευσας εὐπλοίας τυχών* Verba *εὐπλοίας τυχών* indicant rationem qua primaria actio *εἰσεπλεύσας* confecta sit eamque ob causam ad idem tempus referenda sunt. Comparatur h. l. infaustum Oedipi conubium cum navigatione fausta spe inita. Ad calamitatem (infaustas nuptias' in quam Oedipus postea incidit spectat illud *ἄνορμον*, iniit tamen prospere nuptias et ad hoc tendunt verba laudata *εὐπλοίας . .*

[1]) In repetito verbo *παρέχειν* non cum editoribus offenderim, cum eiusmodi adnominationes Sophocles valde adamet. cfr. O. R. 60. Phil. 64. 1140. 1201 etc.

Phil. 577 *ἔκπλει σεαυτὸν συλλαβὼν ἐκ τῆσδε γῆς* festina te hinc auferre.

Ant. 224 *ἱκάνω κοίσω ἐξάρας πόδα* de gressu custodis dictum.

cfr. Trach. 795 *ὀφθαλμὸν ὥρας εἶδε*, quae verba ad ipsam videndi actionem pertinent.

In cad. fab. 254 de Hercule dictum:

χοὕτως ἐδίχθη τοῦτο τοὔνειδος λαβών.

et ibid. 255. *ὥσθ ὅρκον αὐτῷ προσβαλὼν διώμοσεν* i. e. se iureiurando obstrinxit. Duobus his locis verbum ac participium ad eandem rem pertinent itaque ad idem tempus revocanda sunt. Eodem temporis momento quo Hercules ignominia affectus est, etiam dolore captus est atque ubi iure iurando se adstrinxit, deieravit.

El. 569 *ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλών.*

Notandum est participium aoristi h. l. generalem quandam vim prae se ferre neque ut aliis locis verbi notionem accuratius definire; nihilominus tamen actionem verbi finiti illustrat hoc loco participium et quasi conditionem huic actioni subiectam animo proponit.

Praterea huc refero O. C. 194 *ἑστῶ* i. e. subsistamne? deinde respondet Chorus *λέχριος . . . ὀκλάσας* quibus verbis monet Oedipum, ut genibus flexis in humili loco considat.

O. R. 431 *ἀποστραφεὶς ἆπει;* quod quaerit Oedipus ex Tiresia. Ant. 315 *στραφεὶς οὕτως ἴω.* Participia *ἀποστραφείς* et simplex *στραφείς* h. l. quasi initium ac partem actionis eundi efficere mihi videntur, itaque ad idem tempus spectant, quo illa actio primaria incidit. Simili ratione explico, quae leguntur: Ai. 1410 *θιγὼν πλευρᾶς . . τάχ' ἐπικούφιζ'.* Ant. 201 *ἠθέλησε. . . τοὺς δὲ δουλώσας ἄγειν* i. e. in servitutem redigere.

O. C. 1112 *ἐρείσατ' ὦ παῖ . . . ἐμφύντε τῷ φύσαντι* i. e. fulcite, o filiae utrumque latus meum, sive ut Brunckius reddit, applicaminor mihi utrumque ad latus inhaerentes patri.

cfr. Ai. 308 *ἐν δ' ἐρειπίοις νεκρῶν ἐρειφθεὶς ἕζετ' ἀρνείου φόνου* i. e. prostratus autem sedebat in prostratis cadaveribus caesarum ovium. His verbis tota conditio in qua versetur Aiax optime describitur ac participio cum verbo coniuncto tanquam una imagine exprimitur.

Similiter dicitur Ant. 1235 de Haemone sibi ipsi caedem inferente: *ἐπενταθεὶς ἠρείσε πλευρᾶς μέσσον ἔγχος.* Trach. 99 sq. *ναίει . . . κλιθείς*, quaeritur h. l. a choro: utrum (Hercules) mare teneat an in alterutra continente commoretur. Etenim *κλιθῆναι τόπῳ τινί* ex usu Homerico dici sic, ut sit in aliquo loco iacere, commorari,

monuit iam Hermannus; *ναίει* autem quod ad participium *κλιθείς* intellegendum nihil fere aliud continet nisi simplex verbum *ἐστίν*.

Denique huc locum refero qui extat Ant. 23. sq.

Ἐτεοκλέα μὲν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ
χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε. etc.

In his verbis viri docti valde offenderunt ac primum quidem in eo quod *χρησθείς* pro *χρησάμενος* usurpatum deinde quod *χρῆσθαι σύν τινι δίκῃ* cum adiectivo *δίκαιος* coniunctum est. Quod ad *χρησθείς* attinet in hac forma non tantopere offenderim, quoniam etiam alia verba apud Sophoclem extant quorum participia aoristi passivi media significatione dicta sunt velut O. R. 646 *ἀλῶσθείς* et O. C. 636 *σεβισθείς*. Deinde quod editores statuunt verbis laudatis molestam inesse copiam atque abundantiam quaerendum est annon fortasse Sophocles certa quadam causa commotus sit, cur h. l. tanta orationis ubertate tantaque verborum copia usus sit, Schneidewinus quidem hoc negat, cum dicat prorsus per se intellegi Creontem Eteoclem, qui vitam pro patria profuderit, iustis honoribus sepelivisse, Antigonam autem nihil aliud studuisse nisi ut ignominiam, quam Polynices frater accepisset verbis extolleret. Qua in re tamen non prorsus cum Schneidewino consenserim, nam etiamsi non dubium esse potuit, quin Creon Eteoclem iusta sepultura afficeret, tamen poeta h. l. hoc consulto amplius descripsisse videtur ut paulo post a. v. 26 contumeliam Polynici illatam eo magis animo proponeret cum honoribus Eteocli tributis eam opponeret.

Praeterea si conformationem sententiarum l. l. spectamus non solum verisimile ne dicam necessarium esse mihi videtur poetam, cum sex versibus 25—30 de Polynice verba faciat, tribus certe versibus de Eteocle locutum esse nam hoc solo modo orationis concinnitas, quae in hac partitione orationis posita esse mihi videtur, servatur. Quibus causis motus verba quae tradita sunt retinere malim quam eicere, quamquam non negaverim locum laudatum molestiis quibusdam laborare, quae, quod adhuc tollere nequeo, valde doleo. Attuli autem hunc locum, quod participio in eo posito *χρησθείς* etc. modus, quo actio verbi principalis peracta sit, circumscribitur itaque actio participii ad idem tempus ad quod actio verbi pertinet.

In locis igitur, quos inde a fine pag. 76. sq. perlustravimus, participia aoristi non, ut priora instrumentali vi praedita, rem significant, qua altera res verbo finito expressa efficiatur vel contineatur, sed potius ad modum respiciunt, quo actio verbi principalis conficiatur idque variis modis fieri posse vidimus vel ita ut participium eandem quam verbum indicet actionem neque quidquam aliud efficiat, nisi ut modum

quo fiat accuratius definiat atque illustret, cui generi adsigno: El. 297. Ai. 639. et 821. O. C. 1008. ibid. 363. El. 776. Ant. 100. O. R. 473. 423. Phil. 577. Ant. 201. ib. 23. sq. Trach. 254. El. 569; vel ita ut quasi initium vel partem actionis primariae efficiat velut Ant. 224. Trach. 795. O. R. 431. Ant. 315. Ai. 1410. O. C. 1112. Ai. 308. Ant. 1235. Trach. 99. Quibus locis res participiis indicatae, quamquam ex logica ratione actioni verbi finiti paulo praecedunt, tamen eos in errore versari putaverim, qui statuant, participia illa praeteriti significationem praebere, quae eo continetur, ut supra ostendimus, quod res aliqua prorsus ad finem perducta est, priusquam altera actio incidat neque igitur permanet cum haec fiat. Eiusmodi autem vis in locis laudatis certe non perspicitur, sed in eis rem potius ita comparatam habemus, ut actio participii quamquam, ut iam monui, actionem principalem paulo antecedit, tamen conditio ei subiecta, cum verbi actioni arctissime iungatur, idem temporis spatium quod haec actio complectatur atque cum ea in unam tanquam imaginem coalescere nobis videatur, quam sententiam imprimis confirmant atque illustrant tria illa exempla a me paulo ante exscripta: O. C. 1112. Ai. 308. sq. Ant. 1235. sq.

Aliter conformata sunt ea exempla, ubi participia aoristi non tam ad ipsam verbi actionem pertinent eiusque tanquam partem efficiunt, sed nihil nisi formam[1]) si hac voce uti licet, actionis verbi finiti animo repraesentant, ita ut modalis vis participii non tam in ipsa re quam in forma agendi ut ita dicam posita sit, cuius generis nos iam supra, ubi de participiis aoristi a verbis dicendi derivatis disputavimus, nonnulla exempla protulimus. Confer imprimis O. C. 1598 ubi *αὐσας . . . ἠνύγει* ita verterim: mit laut erhobener Stimme befahl er. Ant. 1227 similiter explicandum. Rieckher l. l. plura exempla, quae sub idem genus cadunt, ex Homero exscripsit. velut Il. 5. 439. *δεινὰ δ' ὁμοκλήσας προσέφη* et quod saepius invenitur *φωνήσας — ἔπεα προσηύδα* cfr. Il. 4, 284. Ex Sophocle praeterea petivi Ant. 1210 supra allatum.

Deinde huc refero: El. 673. *ἐν βραχεῖ συνθεὶς λέγω* i. e. brevibus dico, quocum conferendum, quod a scriptoribus prosae orationis saepius usurpatur *ξυνελὼν φάναι*. Thuc. 1. 70. cfr. 3. 40. Her. 3. 82. Ad hunc usum Rieckher recte quidem haec fere adnotat pag. 5: die geistige Thätigkeit des Zusammenfassens der Rede geht dem Reden voraus, nihilominus tamen eiusmodi participiis aoristi non praeteriti vim tribuerim, cum illa actio vel rectius agitatio mentis in dicendo efficiatur vel in ipsa oratione conspiciatur.

[1]) Cfr. Rieckher l. l. pag. 4.

Accedunt pauci alii loci, quibus festinationis sive celeritatis notio in agendo participio significatur, cuius usus exempla apud Sophoclem haec deprendi: Ai. 1164 *ταχύνας σπεῦσον*, quod eodem sensu dictum quo O. R. 861 *πέμψω ταχύνας'*, ita ut sit *σπεῦδε ταχέως*, qua locutione usus est Aristophanes Eq. 495. Thesm. 277. Apud Homerum conferas quaeso Il. 23. 506. *τὼ δὲ σπεύδοντε πετέσθην* similia, quae Rieckher l. l. pag. 6 ex diversis scriptoribus attulit.

Huc quoque referendum *αἴξας*, quod apud Sophoclem occurit O. R. 1073 *τί ποτε βέβηκεν . . . . ὑπ' ἀγρίας ἅξασα λύπης ἡ γυνή* de subito Iocastae discessu dictum. cfr. Il. 2. 167. Od. 1. 102 *βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀΐξασα*. Od. 1. 410. Aristoph. Ran. 576. et quae similia sunt.

c) De verbis *λανθάνω τυγχάνω κυρῶ* cum participiis coniunctis.

Restat ut pauca addam de nonnullis verbis quibuscum coniunctum participium aoristi imprimis praedicati quod dicunt vices tuetur notionem verbi cui iungitur supplens atque unam eandemque actionem cum eo efficiens. Ac primum quidem in numerum horum verborum referam *λανθάνω, τυγχάνω*, quae ad actionem participii quocum coniunguntur, adverbialem quandam vim habent.

Sic *λανθάνω* latendi vim includit ut sive clandestino consilio sive non animadvertente vel se vel alio aliquid facere quis aut pati dicatur, velut Phil. 49 *μὴ καὶ λάθῃ με προσπεσών* i. e ne (Philoctetes) clam in me incidat, vel potius me opprimat; sunt verba Ulixis. cfr. ib. 156. El. 1403.

Invertitur interdum componendi ratio ut ipsum *λαθών* participium finito verbo addatur; velut Ant. 532, ubi Creon Antigonam hoc modo increpat: *ἡ λήθουσά μ' ἐξέπινες* praesentis participium positum est, quod agitur de actione durante; contra de re semel facta vel simpliciter incidente semper participium aoristi usurpatur quod elucet et ex locis iam prolatis et ex Aeg. fr. 23 ed. Nauck., ubi inversa componendi ratio extat *πῶς δῆτ' ὀδοιρὸν οἷος ἐξέβης λαθών*.

Rursus altera ratio quae Sophocli usitatior est, invenitur El. 744, ubi paedagogus loquitur de certamine equestri, quo Orestes vitae finem adeptus est: *λανθάνει στήλην ἄκραν παίσας* i. e. inscius et invitus offendit.

Quod Rieckher l. l. pag. 7. de hoc usu verbi *λανθάνω* dixit: «nimmt *λανθάνω* ein Participium zu sich: das Part, aor., wenn eine momentane Handlung ausgedrückt wird, und der Nachdruck nicht darauf liegt, dass das Verborgenbleiben auf den Moment des Geschehens selbst sich bezieht» hoc me non prorsus intellexisse libere con-

fiteor nam notio «latendi» verbo *λανθάνω* subiecta mihi non nisi ad ipsum momentum quo actio incidat referenda esse videtur, cum neque ante neque post hoc temporis momentum quemquam fugere possit quae res ei acciderit vel in quodnam malum inciderit. Conferas quaeso ad hanc quaestionem facilius solvendam locum ex Electra excitatum v. 744. H. l. vis verbi *λανθάνει* haud dubie ad ipsam verbi actionem *παίσας* valet, atque Orestem non nisi eo temporis puncto, quo accidit ut in meta offenderet hoc latere potuit, nam temporis praecedentis omnino nullam rationem haberi posse quis est, quin intelligat, neque rectius refertur *λανθάνει* ad tempus quod subsequitur, nam quis credat Orestam cum in meta offendisset hoc fugere potuisse, cum ipse hoc facto de curru deiceretur. Inde liquet res verbo ac participio expressas ad idem temporis momentum spectare, eandemque rationem etiam ad ceteros locos valere, quisque qui eos diligenter consideraverit, libenter concedet.

De usu verbi *τυγχάνειν* non habeo quod dicam, nam plane eodem modo quo *λανθάνω* cum participio aoristi coniungi solet atque est verbum cum omnibus Graecae linguae scriptoribus tum Sophocli usitatissimum. Participium aoristi ei adiungitur, ubi res simpliciter incidens vel actio momentanea significatur, cf. O. C. 1349. Trach. 695 et similes; participium praesentis ac perfecti locum habent ubi actiones vel conditiones quae per aliquod temporis spatium permanent, exprimuntur, cf. O. R. 757 *τυγχάνει παρών*. O. C. 1359 *ἐν πόνῳ ταὐτῷ βεβηκὼς τυγχάνεις* alios. Dicitur autem cum participio plerumque de re forte facta vel saepius quoque nihil est, «nisi verbi finiti circumlocutio quaedam ac verborum ambitus.[1])

Similiter ac *τυγχάνω* verbum *κυρέω* cum participio dicitur cui quali forte conditione res est, significationem tribuit. Participium autem aoristi cum *κυρεῖν* coniunctum duobus tantum locis inveni: Phil. 30 *κατανλισθεὶς κυρῇ* et O. C. 119 *κυρεῖ σνθείς*. Participia praesentis tamen ac perfecti cum hoc verbo coniuncta multo saepius occurrunt, quod videtur inde explicandum esse, quod *κυρεῖν* imprimis conditionis vim sibi adsciscit, haec autem vis part. maxime agnoscitur in participiis praesentis ac perfecti, contra in aoristo actio ipsa per se spectari solet.

[1]) Ellendt lex. Soph. s. v.

d) Verbum finitum iudicium aliquod continet de actione participii quae summam actionis illius verbi efficit.

Alia verba, quorum notionem participium aoristi praedicati munere fungens supplet et cum quibus coniunctum unam eandemque actionem exprimit ea sunt, quae iudicium aliquod de actione participii quocum connexa sunt, continent. Quem usum Rieckher l. l. pag. 1. sq. pluribus exemplis illustravit: Od. 11. 272. *μέγα ἔργον ἔρεξεν γημαμένη ᾧ υἱεῖ*. Plat. Phaed 60. C. notissimus ille locus: *εὖ γ' ἐποίησας ἀναμνήσας με* ac plures alios affert. Quibus prolatis idem vir doctus confert nonnulla exempla, quibus participia praesentis cum eiusmodi verbis iudicandi in praesente positis coniunguntur cfr. Thuc. 2, 71. Plat. rep. VIII, 576. E.

Tum affert nonnullos locos ubi aoristo verbi finiti participium praesentis iungitur. Ar. Eq. 359. Her 3. 36. *εὖ . . . . . συνεβούλευσας κελεύων αὐτὸν . . . . . ἰέναι*. etc. Neque tamen singulos hos locos accurate interpretatus est, sed pluribus alius generis exemplis collectis in fine disputationis pag. 23. ratiocinatur participia praesentis et aoristi interdum promiscue usurpata esse. Qua in re tamen cum Rickhero consentire non possum, cum in opusculo meo semper eam rationem secutus sum, ut probarem unam quamque verbi formam suam propriam vim habere ac retinere. Sic etiam aoristus suam vim nunquam amittit, sed semper servat eis quoque locis, ubi alius temporis munus suscipere videatur, velut apud Her. 3, 36 quem locum equidem ita explicaverim, ut *συνεβούλευσας* sit aoristus qui dicitur effectivus, quo qui utatur actionem in unum quasi punctum comprehendat eiusque effectum respiciat, participium praesentis autem explicandi causa appositum sit cum quasi singula verba quibus qui iusserit vel suaserit l. l. usus sit, contineat. Eadem fere ratione etiam ceteros quos Rieckher attulit, locos interpretandos esse censeo.

Quod ad Sophoclem attinet, pauca tantummodo exempla apud eum reperi, quae ad hoc dicendi genus revocem: O. C. 853 sq. *οὔτε νῦν καλὰ δρῶς οὔτε πρόσθεν εἰργάσω . . . ὀργῇ χάριν δούς*. Trach. 1137 ubi Hercules de Deianira locutus hoc quaerit ex Hyllo: *χρήστ', ὦ κάκιστε, πατέρα σὸν κτείνασα δρᾷ*; ibid. *οὐ γὰρ ἄν ποτε κακὸς φανείην, σοί γε πιστεύσας, πάτερ*.

Differt autem hic usus dicendi a priore orationis genere paulo ante pag. 80 sq. memorato, quod in eo non ut in illo modi sive formae actionis ratio habetur, sed actio per se spectatur, congruit autem cum illo in eo, quod verbum finitum ac participium aoristi cum eandem actionem significent tum ad idem tempus pertinent.

Denique huc refero El. 197, qui locus, quamquam uni vel alteri classi eorum exemplorum de quibus modo disserui eum adscribere nequeo, tamen cum eandem temporis rationem praebeat atque illa et omnino similitudinem quandam cum eis habeat, non omittendus esse mihi videbatur. Confirmat enim maxime, quod probare studuimus, actionem participio aoristi expressam non raro ad idem tempus, ad quod actio verbi finiti pertinere. (die Gleichzeitigkeit der Handlung des part. aor. mit der Handlung des regierenden Verbums.) Verba quae l. l. leguntur haec sunt: *ἔρος ἦν ὁ φράσας*[1]), *δόλος ὁ κτείνας δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες μορφάν*. Ellendt haec verba s. v. *προφυτεύω* de sceleris forma, quo Agamemnon caesus fuerit, excogitanda intellexit, attamen ex mea quidem sententia non recte interpretatus est, cum h. l. non de scelere invento vel excogitato, sed de ipso facinore iam pratrato agatur, quod non solum ex totius loci conexu, verum etiam ex singulis verbis: *κτείνας*, ipsum *προφυτεύσαντες* (quod est procreare de rebus non de cogitationibus dictum) *ἦν ὁ ταῦτα πράσσων* apparere mihi videtur. Inde efficitur *προφυτεύσαντες* ad idem tempus ad quod *φράσας* et imprimis *κτείνας* pertineant, referendum esse; nam quin participium aoristi eandem actionem significet atque *φράσας* ac *κτείνας* nemo certe exsistet qui dubitet.

Iam igitur quaeritur quomodo recte explicentur verba *δεινὰν . . . προφυτεύσαντες*, ac primum quidem videntur rationem significare, qua occisores caedem Agamemnonis perpetraverint, ita ut participium aor. ad actionem quae procreetur i. e se explicet referatur, quam ob rem quis praesens exspectaverit; neque tamen solum ad modum agendi illa verba respicere mihi videntur, sed continere etiam iudicium quoddam, quod chorus h. l de foedissima Agamemnonis caede exercere vel potius pronuntiare conatur et quidem ita, ut totam agendi rationem quam Clytaemnestra et Aegisthus in Agamemnone interficiendo secuti sint, in unum quasi punctum contrahat effectum eius respiciens atque tanquam imaginem rei absolutae animo repraesentet. Habemus igitur in participio *προφυτεύσαντες* rursus aoristum effectivum et si ita l. l. accipiamus sententia evadit, cui multo maior vis inest atque gravitas quam ei, quae ab Ellendtio lex. Soph. proposita est. Quod tamen ad id attinet in quo cardo nostrae quaestionis vertitur, quod probare conati sumus participium aoristi non praeteriti tantum usum habere, sed etiam eam significationem accipere, quam grammatici dicunt die Gleichzeitigkeit, versus ex Electra petitus 197 praeter ceteros locos in hanc rem collatos luculentissimum huius usus exemplum nobis praebet.

[1]) De ordine participiorum *φράσας* et *κτείνας* immutato cfr. pag. 25. hui. opusc.

3. Adduntur nonnulli alii loci ex aliis scriptoribus petiti.

Ex aliis scriptoribus, quo facilius hunc usum participii aoristi agnoscas, imprimis compares Aesch. Ag. 966 sq. *ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ' ἐς δόμους σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός*, ubi participio *ὑπερτείνασα* nullo modo praeteriti vis attribui potest, sed res eo expressa ad idem tempus ad quod verbum *ἵκετ'* refertur, revocari debet. Participium aoristi non praesentis posuit poeta, quod non actionem se explicantem demum, sed potius rem re vera incidentem et quasi iam effectam (effectiver Aor.) significare voluit.

Praeterea confer Eur. Phoen. 651. 1405. Her. 1, 111; 3, 22 et 52, de quibus exemplis amplius disputandi hic locus non est, hoc tamen monere voluerim omnibus his locis rem participio expressam cum actione verbi finiti vel arcte coniunctam esse, cf. Eur. Phoen, 651. 1405. vel etiam cum ea unam eandemque rem significare atque semper ad idem tempus pertinere ad quod actio principalis spectet quodque verbo finito definitum sit.

§ 17. Pfuhlii sententia de hoc usu participii Aoristi refutatur.

Ab hac tamen sententia modo prolata, ne hoc in fine disputationis commemorare omittam, recedit Pfuhlius vir sagacissimus, qui in libro suo iam laudato pag. 52 aliam sententiam ut mihi quidem videtur admodum falsam protulit.

Etenim contendit vir doctus participium aoristi eis locis, ubi in re enarranda cum verbo finito coniunctum usurparetur atque in idem fere tempus ad quod actio huius verbi pertineat incidere videretur, fortuito tantum et casu quodam formam participii induisse atque eandem vim praebere qua indicativus qui dicitur historicus (particula *καί* cum altero verbo coniunctus) praeditus esset. Neque tamen hac in re quamquam participia aoristi in vernaculo sermone saepius ita verti non negaverim, Pfuhlio[1]) assentiar, quod eius interpretatio et in universum Graecae linguae ingenio cui participiorum aoristi usus maxime proprius est ac peculiaris, repugnat et ei rationi sive relationi adversatur, quam inter verbum finitum ac participium intercedere supra

[1]) Cfr. Rieckher l. l. pag. 15 ubi eandem quam Pfuhlius post eum sententiam de participiis aoristi protulit.

ostendere studui, cum docerem participium aoristi aut causam, qua quis motus rem verbo finito expressam suscipiat, aut omnino rem cum actione verbi principalis coniunctam indicare aut ad eandem actionem, quae verbo finito subiecta sit, pertinere, vel instrumentali vel modali vi instructum. Omnis autem huius generis ratio qua verbum finitum ac participium aoristi tamquam vinculo quodam arctissimo consociata vidimus, tollitur atque evertitur si Pfuhlii sententiam sequamur. Nam indicativus neque eiusmodi relationes exprimit neque omnino respicit conditionem in qua quis cum aliquid agat versetur, sed nihil aliud efficit nisi ut rem aliquam factam esse simpliciter indicet nulla alius rei ratione habita. Participii autem vis tota posita est in conditione qua quis in agendo utatur, significanda, quem usum et in initio disputatiunculae et in ceteris eius partibus exemplis satis illustrasse mihi videor.

Quod si res ita se habet inde effici mihi videtur nullo modo fieri potuisse ut participium aoristi interdum fortuito in indicativi loco substitueretur. Atque quantum equidem quaesivi cum alii scriptores tum imprimis Sophocles omnibus eis locis quos ex eo petivi participium aoristi semper certo quodam consilio usurpavit plerumque eo, ut conditionem, qua qui aliquid ageret aut pateretur, usus sit, animo proponeret. Conditionis autem, ut constat, vim Graeci non indicativo sed participio potissimum tribuerunt eaque sola causa iam adductus sum eo, ut Pfuhlii sententiam de participii usu reicerem.

Exempla autem, quae vir doctus ad sententiam suam confirmandam attulit ita comparata esse mihi videntur, ut quod probare voluerit non tam ex eis effici quam potius refelli possit. Inspicias quaeso locos quos pag. 54 attulit Diod Sic. II. 13 et XI. 31, ubi provocat ad Godofredum Hermannum dicens hunc virum clarissimnm idem ac se de participio aoristi sensisse cum Viger. pag 775 ad l. l. hanc interpretationem protulerit: *ποιησαμένη παρεγένετο* i. e. *ἐποιήσατο καὶ παρεγένετο* et *ἀγωνισάμενος ἀνεῖλε*, idem valere ac *ἠγωνίσατο καὶ ἀνεῖλεν*. Quam explicationem equidem non probaverim, cum particula *καί* altera sententia alteri nimis solute iungatur, quamquam re vera altera cum altera arctius cohaeret. Etenim priore loco Diod. II. 13 verba *ἐπ' Ἐκβατάνων τὴν πορείαν ποιησαμένη* conditionem significant, sub qua res verbo finito expressa inciderit et locum in latinum sermonem sic verterim: cum in Ecbatana iter facerem, ad montem Sarcaeum perveni.

Eodem modo res se habet altero loco XI. 31, ubi participio *ἀγωνισάμενος* indicatur conditio, qua qui multis Hellenibus caedem intulit, usus sit. Haec autem conditionis vis etiamsi mente suppleri posset, tamen si participium aoristi in indicativum mutaretur et particula *καὶ* cum verbo primario iungeretur, minime tam perspicua

fieret. Similis ratio valere mihi videtur ad ceteros locos, quos ex Homero aliis scriptoribus contulit velut Il. B. 269 ubi verba *ἀχρεῖον ἰδὼν ἀπομόρξατο δάκρυ* cum Pfuhlio non ita explicaverim *ἀχρεῖον εἶδε καὶ ἀπομόρξατο* er zog ein albernes Gesicht etc., sed potius ita verterim: indem er eine verlegene Miene machte, oder mit verlegener Miene wischte er (Thersites) sich die Thräne ab; duae actiones igitur et participii et verbi ad idem temporis momentum referendae esse mihi videntur atque participium quidem indicat conditionem in qua Thersites eo momento quo lacrimas abstergeat versetur, quod si ita locum accipiamus, conditionis vim participio insitam ea qua par est diligentia animo proponimus atque imaginem multo expressiorem oculis subicimus quam si simpliciter indicativum participii loco substituamus.

Confer praeterea Il. E. 98 *βάλ' . . . τυχὼν κατὰ . . . ὦμον*, quod Pfuhlius dissolvit in *ἔτυχε καὶ ἔβαλεν*, attamen iniuria, quantum equidem video, nam h. l. generalis notio verbi finiti *βάλε* accuratius definitur sequente participio *τυχών*, quod ut ita dicam momentum primarium illius verbi actionis efficit sive indicat. Haec autem ratio sententiarum minime tam manifesta evasisset, si poeta pro participio indicativum posuisset ac particula *καὶ* cum altero verbo finito coniunxisset.

Similiter ceteri loci a Pfuhlio comparati explicandi sunt Il, *A.* 146. 546. Plut. Thes. c. 14. Xenoph. Comm. *II.* 27. et notissimus ille locus Platonis Phaed 60 *εὖ γ' ἐποίησας* etc. sub idem genus dicendi cadunt, de quo supra iam locuti sumus, ubi verbum finitum ac participium eandem actionem significant eodem tempore incidentia, verbo finito autem de actione participii, qua ipsius actio contineatur, iudicium aliquod includatur. Verbum finitum in his locis ad actionem effectam respicit, participium ipsum momentum quo haec actio incidat, significat.

Iam vero finem imponere liceat huic disputationi, nam ex eis, quae adhuc diximus satis apparere mihi videtur participium aoristi non praeteriti tantum vim habere, sed etiam non raro eam accipere significationem quam dicunt: »die Gleichzeitigkeit«, quod quomodo factum sit, si recte explicavi, atque qua in re differat participium aoristi a participio praesentis et perfecti, quae denique diversae rationes inter participia ac verba finita intercedant, si demonstravi, operae pretium me fecisse confido simulque spero fore ut in hoc opusculo paululum contribuerim ad usum participii apud Sophoclem melius intellegendum et accuratius definiendum.

Conspectus rerum tractatarum.

Prooemium:

Pag.

1) Disputatur in universum de natura ac significatione participii. 1—2
2) Deinde fontes quibus auctor in opusculo usus sit enarrantur ac materia generatim disponitur. . . . . 2—3
3) Quae sit propria ac peculiaris vis participii attributiva accuratius exponitur. Tum transitus fit ad. . . . . 3—5

Pars I.

De participii cum articulo coniuncti usu. . . . . 6—26

Caput I. Exempla proferuntur ubi articulus participio generalem tribuit significationem certae cuiusdam personae vel rei ratione plerumque habita . . . . . 6—22

§ 1. De personis pluralis participii cum articulo coniuncti dicitur. . . . . 6—14

Afferuntur participia praesentis perfecti aoristi et adduntur quaedam de differentia quae extet inter participium cum articulo substantive dictum et substantivum.

§ 2. De usu singulari participii cum articulo coniuncti. 15—17

§ 3. Participia cum articulo de rebus dicuntur ita, ut vel certae cuiusdam rei ratio in eis habeatur vel ut prorsus generalem sententiam praebeant . . . . 17—22

Pag.

Caput II. Alius usus participii cum articulo coniuncti, qui est eius proprius ac peculiaris, exemplis illustratur . . . . . 22—26

Pars II.

De participii usu attributivo. . . . . 26—33

§ 4. De discrimine quod intercedit inter hunc usum participii et participium in appositione positum. . . 26—27

§ 5. Participia praesentis. . . . . 27—30

§ 6. Participia perfecti . . . . . 30—32

§ 7. Participia aoristi. . . . . 32—33

Pars III.

De participio in appositione posito atque imprimis de relatione temporali quae intercedit inter verba finita ac participia. . . . . 34—87

Caput I. De participii praesentis usu. . . . . 35—55

§ 8. Participii praesentis significatio accuratius explicatur. 35—37

§ 9. Participium praesentis verbo finito adicitur vel explicationis causa vel ad rem cum actione verbi finiti coniunctam significandam vel omnino ad actionem principalem describendam. . . . . 37—39

§ 10. Participia praesentis cum participiis aoristi in narrationibus coniuncta. . . . . 40—43

§ 11. De nonnullis participiis praesentis et aoristi speciem quandam abundantiae prae se ferentibus. . . . 43—55

a) De participiis *ἔχων φέρων ἄγων λαβών*. . . . . 44—50

b) De participiis *μολών, ἐλθών ἰών*. . . . . 50—53

c) De participiis *παρών* et *συνών* . . . . . 53—55

Caput II. De participii aoristi usu. . . . . 55—87

§ 12. Paucis de vi atque historia aoristi praemonitis Phuhlii, Curtii, Bernhardi, aliorum virorum doctorum sententiae recensentur. . . . . 55—58

§ 13. De aoristo ingressivo et effectivo. . . . . 58—59

Pag.

§ 14. Participii aoristi usus praeteriti amplius explicatur atque exemplis illustratur . . . . . 60—62

§ 15. Discrimen quod inter participium aoristi de re praeterita dictum et participium perfecti intercedat pluribus exemplis demonstratur . . . . . 62—66

§ 16. Pertractatur atque examinatur is usus ubi participium aoristi ad praesens accedere videtur et temporis aequalitatem significat . . . . . 67—87

Ac primum quidem huc refero

1) Participia aoristi quae aliam actionem atque verbum finitum significant. Huc pertinent . . . . . 67—74

a) Participia verborum affectuum ac similium pleraque causali vi praedita. . . . . 67—70

b) Participia ab aliis verbis velut dicendi ac videndi formata nihil nisi rem cum actione verbi finiti coniunctam significantia . . . . . 70—74

2) Participia aoristi quae eandem quam verbum finitum actionem exprimunt vel certe ad eandem rem pertinent, quae verbo finito indicatur. . . . . 74—84

a) Participia aoristi instrmentali vi praedita . . . . 75—76

b) Participia aoristi modali vi instructa et ad rem vel actionem ipsam et ad formam eius spectantia . . 76—81

c) De verbis *λανθάνω τυγχάνω φθάνω* cum participiis coniunctis . . . . . 81—82

d) Verbum finitum iudicium aliquod continet de actione participii quae summam actionis illius verbi efficit. 83—84

3) Adduntur nonnulli alii loci ex aliis scriptoribus petiti. 85

§ 17. Pfuhlii sententia de hoc usu participii aoristi refutatur. . . . . 85—87

Vita.

Natus sum Ernestus Julius Stanislaus Krichauff Altonae die XXVII m. Decembris a. h. s. LII patre Guenthero matre Carolina e gente Olshausen, quos quidem praematura morte mihi abreptos valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Inde a prima pueritia gymnasium Altonense frequentavi usque ad initium a. h. s. LXXIII, quo tempore maturitatis testimonium adeptus Kiliam me contuli et in numerum civium academicorum a v. ill. Kupfero tunc fasces academicos tenente receptus sum. Ibi per septem semestria interfui scholis vv. dd. Forchhammeri, Luebberti, Volquardsenii, Thaulowii a. Gutschmidii Wilmannsii Usingeri Rohdii. Deinde hieme a. h. s. LXXVI almam Bonnam adii ibique per duo semestria scholis usus vv. ill. Useneri, Buecheleri Kekulé; denique Kiliam reversus scholas vv. ill. Schirrenii ac Pfeiferi frequentavi et etiamnunc frequento. Sodalis et extraordinarius et ordinarius fui seminarii philologici per quinque semestria nec non interfui societati Aristotelicae ac seminario historico. Omnibus autem praeceptoribus, quam debeo gratiam ex animi sententia habeo et semper habebo.

Sententiae controversae.

1. Sophocl. Oed. Rex. vv. 51 et 336 cum F. Rittero non pro spuriis habendi sunt.
2. Sophocl. Oed. Col. v. 42 participium *ὤν* retinendum esse censeo.
3. Sophocl. Phil. 320 in *συντυχών* c. Genetivo coniuncto non offenderim.
4. Plaut. Trucul. I. 1. 16 consentio cum Buechelero, qui pro »iniecit« legere vult »inierit«.
5. Propert. I, X, 19 L. Muellerus pro »quaecunque« iniuria »quae cuique« reposuisse mihi videtur.
6. Propert. V., I, 124 »intepet« a L. Muellero in »si tepet« mutatum non probaverim.